8.55.I.415

ASSERTA
EX UNIVERSA THEOLOGIA
SCHOLASTICA DEPROMPTA
ET MELLIFLUI DOCTORIS SENTENTIIS

Juxtà editionem Pariſienſem 1690. EXORNATA

QUIBUS SUBDUNTUR

THESES POLEMICAE, HISTORICAE, CHRONOLOGICAE, CRITICAE &c.

SUB AUSPICIIS

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini

D. JOANNIS MARIÆ GABRIELLII

S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI,

Ex Congregat. Monachor. RR. S. Bernardi Ord. Ciſterc. Aſſumpti, ac S. Congregationis SS. Reliquiarum, & Indulgentiarum Præfecti

Imminentibus Comitiis Generalibus

PUBLICO CERTAMINI EXPOSITA

A D. FRANCISCO A S. PHILIPPO ROMANO

ejuſdem Congregationis Monacho.

Aſſiſtente R. P. D. PHILIPPO A S. THERESIA

In Monaſterio S. Pudentianæ de Urbe Sac. Facultatum Lectore.

ROMAE, Typis Bernabò. MDCCXI.)(*Superiorum permiſsù.*

Pertinet ad Con. S. Bonav. de Urbe

Spectat ad Conv. S. Bonaventurae de Urbe

Digitized by Google

Digitized by Google

Em.me Princeps.

NUMQUID *de petra agri deficiet* Nix Libani? E.P. *Potentioris Patrocinii ſollicita vagari diù non debuit Theologia, quæ quodam veluti candidiſſimæ dignitatis conſortio* Domeſticum *ſortita eſt Mæcenatem. Quis enim putet illegitima obſequii ratione vectigalem* T*ibi ſcientiam offerri, quæ in celeberrimis Italiæ Urbibus toties repetito Magiſterii tui exercitio diſſemi-*

nata, tuiſque ſedulò exculta ſudoribus; onuſta tandem meritis, & dignitatum titulis laureata, Vaticana Purpura gloriosiſſimè inſigniri promeruit? Porrò præcelſa debuit eſſe ea Virtus, quæ uſque ad ſidera *perveniens*, ſideribus *ipſis nova luce radiantibus viſa eſt coronari. Novis Aſtris ornari Cœlum didicimus, cùm Gentilitia tua* ſidera *vicaria ſolis effecta diſponente Domino quamdam operis ſui pompam Apoſtolico Cœlo inſeruit* Maximus ille Pontifex Innocentius, Optimus Inſpector, & Æſtimator Stellarum. *Deſcendebat coram ipſo ſicut nix eloquium tuum: purpuraſcere proinde debuerat. Teſte ſiquidem Plinio vel ambiunt, vel amant purpuram Nives, quæ diuturnitate rubeſcunt*, O ſidera, *ò Nives, ò Purpuram! Quæ diſtributa Virtutum communia ſunt ſymbola in Te Uno collecta evaſere prodigia.* Stellæ, *quæ à ſtabili ſua conditione nomen traxere, Doctrinæ firmitatem*

ſigni-

ſignificant; *Nives*, *candorem animi nive ipſa candidioris deſignant*, *Purpura tandem incomparabilem illum*, *quo ferves zelum in propaganda* Dei & Sanctorum *gloria demonſtrat*. Sidera *ſanè ſi bene intelligantur lingua non carent*. Tua *tamen* P.E. *ſcientiam vocis habent*, & *mirabilia æquè loquuntur*, *ac faciunt*, *Verùm etſi* Aſtra *tacerent* Parietes *ipſi loquentur*. *Noverint Urbis Cives*, *noverint* Exteri, *quàm providè peregrinæ pietatis commodo conſuluerit* Munificentia Tua, *quæ Religioſò quodam genere OEconomicæ Eminentiſſimam Dignitatem erudiens*, *non ad prophanos*, *ſed ſacros ſumptus Purpurato Principe dignos* Ampliſſimum Cęnobium *propè Vetuſtiſſimum* Inclyti Martyris Sebastiani T*emplum ædificari curavit*, *ſacra etiam ſupellectili*, & *congruo cenſu* pro Monaſtici Sacerdotii ſuſtentatione *generosè aſſignato*. O *Pietas ſæculorum omnium memoriæ commen-*

dabi-

dabilis, eo admirabilior, quo rarior! *In hoc ipſo* Melliflui Protoparentis Templo, *veluti in ampliſſimo Theatro* Angelici Tui Nominis *Myſterium noſtri ſeculi Apelles Æternitati commiſit; ut rectè de* pennis Columbę deargentatæ, *quæ* ſidereo *albeſcunt in* ſtemmate, *dictum illud uſurpare poterit admirabunda Poſteritas* [3. Reg. 6.] TANGEBAT ALA UNA PARIETEM. *ſtudioſa equidem negligentia, quàm plura piiſſimi* Mæcenatis *monumenta pręterire Conſilium fuit, cùm in tanta laudum meſſe manipulos univerſos non colligiſſe, ingenium Magnificentiæ non vitium incuriæ credatur. Eadem hac arte utentes laudamus Pictores, cùm ſine Majeſtatis injuria ingenioſè mutilantes Angelorum ſpeciem nil aliud pingunt pręter* vultum & pennas In Tua *tamen* ſidera *iniquiore ſilentio peccari non patimur*. P. E. *Hęc enim triplici jubare aſſulgentia triplici Bibliotheca Noſtri Athenei*

argu-

anguſtias dilatarunt; *ne minus pietatis, quàm ſcientiarum incremento fęlici cinoſura faviſſe viderentur*. *Quę cùm ita ſint in tanto Nivium candore*, Stellarum *fulgoribus*, *&* Alæ *ſublimitate Tibi uni* Mæcenas Optime, *quem congruè Chryſologus Sacramenti Filium appellaret offerri debuit* Theologia Mellifluis exornata ſententiis: *in Tuam ſiquidem adoptaveras*, *&* *quam nivibus ſpectabilem effeciſti jam vales purpuræ Majeſtate nobilius ornare*: *ut* Nazaræi Tui *dici queant*, Candidiores Nive, & rubicundiores Ebore antiquo. *Tuum profectò eſt quod offerimus*, *Tui etiam nos ipſi ſumus*, *Tuoſque intimius feciſſe gloriaris*, *& meritorum participio*, *& communione Virtutum*, *& promptuario gratiarum*. *Ex quo enim Nives Tuę purpuraſcere cęperunt*, *viſi ſumus verè* ingredi Theſauros Nivis, *& jure de nobis propheticum illud potuit uſurpari* NIVE DEALBABUNTUR IN SELMON. *Quippe ſicut Mons*

iſte,

iſte, quem ſitum legimus in Tribu Ephra-*im propè Jordanem alta horrebat caligi-ne, ſi verò nivibus operiri eveniſſet, pul-cher, & ſerenus apparebat. Ita etiam* P.E. *reverberante in* Ciſtercium Tuum *nivei candoris ſplendore purpureo, novo quodam* Nivium miraculo *factum eſt ut candidius eluceſceret, & amenius flore-ret. Quòd ſi Salomon aſcenſum fecit purpureum propter filias Jeruſalem, Tu quoque in purpura, & byſſo aſcenſiones diſpoſuiſti in cordibus noſtris. Quoniam verò, ut accepimus tempore magnę Nivis Congri in mari cęci efficiuntur. Non ultrò amor, & reverentia Nivium Tuarum pulchritudinem intueri contendant. Par-cam itaque* Eminentissimi Principis *lau-dibus, quibus non parcet Æternitas, & ſub* Alarum *velamento fœliciſſimè poſi-tus nihil mihi non audendum, nihilve non ſperandum gloriabor, cui niveo ne dicam, an lacteo calle ad* ſidera *è* T*erris viam Regiam oſtendis.*

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Archiepiſcopus Theodoſiæ Viceſg.

JUſsu Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Sac.Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè, & magna animi voluptate perlegi *Aſſerta*, ut præfert titulus; *ex univerſa Theologia Scholaſtica, Deprompta, & Melliflui Doctoris Sententiis exornata, quibus ſubduntur Thæſes Polemicæ, Hiſtoricæ, Chronologicæ, Criticæ. Aſſiſtente Adm. R.P.D. Philippo à S. Thereſia Sacrarum Facultatum Lectore.* Miratus ſum in primis ampliſſimam ſui, & Eccleſiæ Doctoris Authoritatum collectionem, quam valde operosè proſequitur ad ejuſdem Scholaſticæ firmamentum: De hinc Sacram unionem, qua utramque Theologiam optimo conſilio quaſi ſororiantes ſociavit; & demùm immenſam utriuſque eruditionem adeò ſplendidè, ac dilucidè compendiario calamo diſtributam, ut non ad examen, ſed ad inſtructionem magis exponere videatur. Facilè ex illis eruditus quiſque percipiet, quo neceſſario fœdere ſe mutuò adjuvent, ut una ſine altera abſque ingenti periculo hoſtes fidei aggredi non valeat: etenim una, ſive poſitiva præbet arma, altera verò docet manus ad prælium: Illa, eadem miniſtret Theologo tam offenſiva, quàm defenſiva; hæc verò dirigit illius digitos ad bellum, verſutias ſermonum detegens, & inanitates argumentorum, ſeu potius ſophiſmatum diſſipans. Militi quippè rudi, & imperito non ſufficiunt arma quàmlibet acutiſſima, ac paratiſſima ſine bellandi peritia; caditque ſæpè quantumvis omni armorum genere munitus, ad primum hoſtis aggreſſum. Sic planè Theologo, nec ſufficiens eſt ſine Scholaſtica

præſidium poſitivæ Theologiæ, cadetque ſæpè varios in errores quantumvis ampla iſtius eruditione inſtructus ſicut multi alii imperiti, & illius contemptores, qui naufragaverunt circa Dogmata fidei, & locuti ſunt falſa. Gratulor proinde laudato Lectori, quòd ejuſmodi commendatiſſimum à Viris optimis juxtà ac doctiſſimis utriuſque conſortium plena facundia expoſuerit, & libenter ſubſcribo poſſe ſine ulla offenſione ſive fidei, ſive morum, ſive ſacrorum Dogmatum, prælo committi. In Collegio Caſanatenſi Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 31. Januarii 1711.

Fr. Paulus Maria Cauvinus Sac. Theologiæ Mag., ac Theologus Caſanatenſis Ordinis Prædicatorum.

Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Sac. Apoſt. Palatii Magiſter Ordinis Prædicatorum.

DE

Digitized by Google

DE DEO UNO.

I. EXISTENTIA Dei, quæ in genere metaphyſico eſt prædicatum ſimpliciter primum, nullamque aliam formalitatem præſupponit ante ſe, optimè demonſtrat, eſſe per ſe notum ſecundùm ſe, Deum eſſe. Quapropter S.P.Bernardus ſerm.71. in cant. num.8.C. eſſentiam Divinam ita deſcripſiſſe videtur. *Eſt autem Patri, Filioque natura, eſſentia, voluntas non modò una, ſed unum. Hoc nempe eſt illis eſſe, quod naturam eſſe, hoc velle, quod eſſe, vel naturam eſſe. Non eſt itaque, quod unitas, qua unum ſunt Pater, & Filius dicatur fieri de naturis, vel aſsentiis, vel voluntatibus, quia non ſunt, non eſt quod dicatur vel fieri, quia eſt.* Non eſt tamen per ſe notum, Deum eſſe ſub conceptu particulari ſecundùm nos docente Melliſl. ſerm.6. in cant. num.2. A. *Experiebantur homines ſedula beneficia, ſed latebat eos beneficus. Ille quidem attingebat a fine uſque ad finem fortiter; ſed diſponens omnia ſuaviter, non ſentiebatur ab hominibus; & gaudebant de bonis Domini, & Dominum Sabaoth, eo quod cum tranquillitate judicaret omnia omnino neſciebant.*

II. Cum ergo Deum eſſe non ſit nobis notum ſecundùm nos; hinc fit, Deum eſſe non poſſe à priori demonſtrari, maximè cum nulla ipſius cauſa aſſignari queat. teſte Melliſl. ſerm.4. in cant. num.4. D. *Sanè eſſe omnium dixerim Deum, non quia illa ſunt, quod eſt ille, ſed* [ad Rom.11.] „ quia ex ipſo, & per ipſum & in ipſo ſunt omnia „ *eſſe eſt ergo omnium, quæ facta ſunt ipſe factor eorum, ſed cauſale, non materiale.* Attamen ſtat benè ejus demonſtrabilitas à poſteriori juxtà S. P. Doctrinam tract. de dilig. Deo cap.2.

num.2. B. *Palàm arbitror eſſe & cur Deus diligendus ſit; hoc eſt unde diligi meruerit. Quod ſi infideles hæc latent, Deo tamen in promptu eſt ingratos confundere ſuper innumeris beneficiis humano, nimirum, & uſui præſtitis, & ſenſui manifeſtis*. Quare exiſtentia Dei a poſteriori demonſtrari poteſt, tum ex iis quæ facta nobis ultronea, magiſve neceſſaria ſunt, prout docet Melliſl. ibid. *Quis alius adminiſtrat cibum omni veſcenti, cernenti lucem, ſpiranti flatum! Sed ſtultum eſt velle modò enumerare, quæ innumera eſſe non longe ante præfatus ſum. Satis eſt ad exemplum præcipua protuliſſe, panem, ſolem, & aerem. Præcipua dico, non quia excellentiora, ſed quia neceſſariora, ſunt quippe corporis*. Tum etiam ex ipſa rerum efficientia, ut exprimit S. Doct. lib.5. de conſid. cap.6. num.14. A. ad illa verba Apoſtoli ad Rom.11.„ Ex quo omnia &c.„ *Ex quo omnia, non de quo, quia non eſt materia Deus; efficiens cauſa eſt non materialis. Fruſtra Philoſophi materiam quærunt: non eguit materia Deus, non enim officinam quæſivit, non artificem. Ipſe per ſe, in ſe omnia fecit. Unde? De nihilo: nam ſi ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia*.

III. Repugnat in Deo quæcumque diſtinctio actualis ab intellectu independens, tum inter eſſentiam, & attributa, & inter attributa ad invicem, tum inter eſſentiam, & relationes, & inter relationes, & attributa: quod optimè exponit Melliſl. ſerm.80. in cant. num.6. C. *Recedant à nobis, chariſſimi, recedant novelli, non dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus eſt Deus, & item bonitatem, qua bonus eſt Deus, ſed, & ſapientiam qua ſapiens, & juſtitiam, qua juſtus, poſtremò Divinitatem qua Deus eſt, Deum non eſſe impiiſſimè diſputant. Divinitate, inquiunt, Deus eſt, ſed. Divinitas non eſt Deus. Forſitan non dignatur Deus eſſe, qua tanta eſt ut faciat Deum? Sed ſi Deus*

non

non eſt; quid eſt? aut enim Deus eſt, aut aliquid quod non eſt Deus, aut nihil. Equidem non das Deum eſſe, ſed ne nihilum quidem (ut opinor) dabis, quam uſque adeo neceſſariam Deo eſſe fateris, ut non modo abſque ea Deus eſſe non poſſit, ſed ea ſit. Quod ſi aliquid eſt, quod non eſt Deus; aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor qua Deus eſt? Reſtat ut aut majorem, fatearis, aut parem. Sed ſi major, ipſa eſt ſummum bonum, non Deus. Si par, duo ſunt ſumma bona, non unum. Quod utrumque catholicus refugit ſenſus. Jàm de magnitudine, bonitate, juſtitia ſapientiaque, idem per omnia, quod de Divinitate ſentimus. Unum in Deo ſunt, & cum Deo. Inter eſſentiam autem, & attributa, ſicut inter eſſentiam, & exiſtentiam, vel inter attributa ad invicem non mera diſtinctio rationis ratiocinantis, vel puri nominis datur jux Melliſl. dicentem lib.5. de conſid. cap.8. num.18. A. *Neque enim nomina vacua ſunt, nec abſque ſignificantia caſſa voces*. Sed diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſeu eminentialem cum eodem Doct. ibid. A. reponimus. *Scrutari hoc temeritas eſt, credere pietas eſt noſſe Vita, & Vita æterna eſt. Unde ſi operæ pretium cenſes percurrat nunc conſideratio, multa, una, quo Eminentia hujus ſingularis unius fiat evidentior.*

De Simplicitate Dei.

IV. S. P. Bernardus ſerm.80. in Cant. num.5. B. *Sola ſumma, & increata natura, quæ eſt Trinitas Deus hanc ſibi vindicat meram ſingularemque ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem, ut non aliud, & aliud, non alibi, quoque, & alibi, ſed ne modo quidem, & modo inveniatur in ea. Nempè in ſemet manens, quod habet, eſt, & quod eſt, ſemper, & uno modo eſt*. Quapropter ſimplicitas divina importat in recto aliquod poſitivum, & in obliquo ſolum dicit

nega-

Digitized by Google

negationem compoſitionis realis, quidem, & phyſicæ non tamen virtualis; itaut Deus nequeat cum re aliqua per modum partis in compoſitionem venire. Imo Deus eſt ita ſimplex, ut nullatenus partibus, vel corpore conſtet. Ut mellitè exaravit S.D. ſerm.5. de Verb. Iſa. n.9. B. *Non eſt corporalis divina ſubſtantia, nec in formam hominum membris diſtincta corporeis. Spiritus eſt Deus, & quæ de eo dicuntur, ſpiritualiter veſtiganda. Alioquin quis nobis revelabit hoc caput, & pedes ejus?*

De Immenſitate Dei.

V. IMmenſitas Dei, quæ eſt magnitudo virtualis, interminabilis exigens occupare indiviſibiliter omnia loca, eſt naturali quadam anticipatione omnium mentibus inſculpta, & fidei dogma irrefragabile; optimèque à Melliſl. Parente explicatur lib.5. de conſid. cap.6. n.14. B. *ſuo autem illo ſublimi, atque incomprehenſibili modo ſicut omnia in ipſo, ſic ipſe in omnibus eſt. Denique ſicut ait Evangeliſta* [Joan.1.] „ In mundo erat „ *Aliàs verò ubi erat antequam Mundus fieret, ibi eſt; non eſt quod quæras ultra ubi erat; præter ipſum nihil erat: ergo in ſe ipſo erat*. Deus autem tribus modis eſt ubique per eſſentiam, per præſentiam, & per potentiam, & hi modi diſtinguuntur inter ſe tantùm ratione ratiocinata. Pariter actualis operatio præcisè neque eſt ratio formalis, neque ratio ſufficienter, & efficaciter illativa immenſitatis Dei; idque conformius eſſe ſcripturis, & SS. PP. arbitramur. Unde fundamentum remotum divinæ omnipotentiæ, & ubiquitatis eſt ipſa immenſitas; fundamentum verò proximum eſt contactus quantitativus virtualis, & contactus indiſtantiæ, ſeu penetrationis, & intromiſſionis. Operatio verò ad extra eſt tantùm conditio ad illud fundamentum proximum prærequiſita.

Digitized by Google

VI. S. Bernardus ſerm. 6. in dedic. Eccleſiæ num. 2. F. ait. *Licet enim in omni loco ſit, qui nullo clauditur loco; ſignanter tamen dicimus Pater noſter qui es in cœlis: quod aliter illic, & proprio quodam modo præſentem ſe exibeat, non quidem ipſe diverſus, ſed diverſa diſtinguens. Eſt ergo in omni loco omnia univerſaliter continens; omniaque diſponens.* Unde ſolus Deus eſt immenſus, & poteſt eſſe ubique totaliter, & per ſe; & ratione ſuæ immenſitatis eſt ubique realiter extra mundum, & ſupra cœlos dum *nullo clauditur loco* non tamen in ſpatiis imaginariis, ſeu tamquam in aliquo loco reali à ſe diſtincto, ſed in ſe ipſo. Creaturæ autem adumbrant quidem per varios quaſi gradus Dei immenſitatem, nihilominus tantùm per accidens poſſunt eſſe ubique.

De Perfectione Dei.

VII. Esto perfectiones ſimpliciter ſimplices contineantur in Deo formaliter, nihilominus perfectiones ſecundùm quid non formaliter, ſed tantùm eminenter continentur in Deo teſte Melliſl. ſerm.4. in cant. num.41. D. *Sanè eſſe omnium dixerim Deum, non quia illa ſunt, quod eſt ille, ſed quia* [*ad Rom.*11.] „ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo „ ſunt omnia. „ *Eſſe eſt ergo omnium quæ facta ſunt ipſe factor eorum, ſed cauſale.* Quinimò eſt tùm de fide ſanctum, tum naturali ratione evidens Deum eſſe ens omninò perfectum, & ſummè bonum, bonitate tum abſoluta, tum reſpectiva, tum morali. Iſta autem perfectio Dei in omni genere infinita, aliter quàm ex continentia perfectionum rerum omnium probari poteſt; præcipuè verò à priori; ex ſuper ſufficientia exiſtendi, à poſteriori ex infinitate cujuslibet ticularis attributi divini.

Digitized by Google

De Infinitate Dei.

VIII. INfinitus quidem Deus, ſed non per quantitatem infinitam ut ex noſtro Melliſluo tradidimus nu.4. Sed infinitus eſt per eſſentiam juxta ejuſdem Doctoris ſententiam lib.5. de conſid. c.13. num.27. E. *Quid eſt Deus? Longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum, quid? Inquis. Tenemus te quaternitatis, quam abominatus es profeſſorem. Minimè; abominatus ſum, & abominor. Viſus ſum protuliſſe plura, ſed unum eſt*, & ibid. num.29. E. *Illa una res eſt, longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, ſublimitas propter majeſtatem, profunditas propter ſapientiam*. Cum autem in Deo infinitas alia ſit formalis, alia radicalis iſta, non illa eſt ſpeciale attibutum.

De Immutabilitate Dei.

IX. S. Parens ſerm.3. de verb. Iſa. num.4. C. *Sola ſedet Trinitas, quæ ſola habet immutabilitatem, ſola eſt, apud quam non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Quare immutabilitas intrinſeca, & eſſentialis Dei, cujus notitia, quaſi innata noſtris mentibus eſt, dicit conſtitutivè, & in recto quid poſitivum, licet in modo explicandi negationem, ſeu mutationis carentiam importet.

De Æternitate Dei.

X. ÆTernitas, de qua S. Bernardus ſerm.80. in cant. num.5. B. *Tempora ſub eo tranſeunt, non ei; futura non expectat, præterita non recogitat, præſentia non experitur.* Eſt verè duratio, & realiter Dei menſura activa, & paſſiva ſub diverſo reſpectu, eſt que ita Dei propria, ut im-

Digitized by Google

impoſſibile ſit, creaturam ab æterno produci à Deo potuiſſe maximè cùm Creatura eſſentialiter dicat pro aliquo inſtanti non eſſe, cùm eſſe ab alio dicat, unde dicit de ſe, *erit*, *fuit* quod totum excludit æternitas docente Melliſl. ſerm.31. in cant.num.1.A. *Tolle, fuit, & erit, unde jam tranſmutatio, ac viciſſitudinis obumbratio.*

De Juſtitia Dei.

XI. DAtur in Deo Juſtitia generalis providentialis. Quare Melliſl.ſerm.73. de diverſ. E. ita loquitur *Deus licet unus ſit, & unum ſit, tamen non ſui varietate, ſed animi noſtri mutatione guſtantibus nobis diverſos videtur habere ſapores. Sapit enim timenti juſtitiam, & potentiam, ſapit amanti bonitatem, & miſericordiam; unde, & alibi ait, idem iſte propheta.* [Pſal.61.] „ Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.

XII. Juſtitia vindicativa datur in Deo, ut advertit S. Doct. ſerm.1. in adv. Dom. num.1. A. *Lucifer enim ille qui mane oriebatur, pro eo quod Altiſſimi ſimilitudinem uſurpare tentavit, & rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo (quod utique Filii eſt) præcipitatus illicò corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater, & opere dixiſſe videtur.* [Deut.22.] „ Mihi vindictam, & ego retribuam „ Hæc autem juſtitia vindicativa eſt à legali indiſtincta; non tamen datur in ipſo Deo juſtitia commutativa, aut diſtributiva (ut infra) erga creaturas, nec in creaturis erga Deum; dicente Melliſl. ſerm.14. in Pſal.90. num.1. C. *Enim verò Dominus Deus tuus ipſa etiam inſtrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia; nec modò fecit, ſed & compegit etiam, & formavit, ac ſuo quodque illuſtravit officio. Quomodo non in his omni jure, ſibi gratias exigit ampliores.*

De Scientia Dei.

XIII. EST in Deo tamquam Authore, & largitore ſapientiæ fons, & principium totius ſcientiæ, quod nonniſi inſcius, vel planè impius inficiabitur; hanc verò perfectam ſapientiam, & ſcientiam agnovit Bernardus ſerm. 19. in cant. num. 5. E. *Illa tamen cœli agmina, quæ Cherubin nuncupantur, ſi eis ſui vocabuli ſervetur interpretatio, arbitror nil habere, quod ab ipſis aut per ipſos accipiant, cùm de ipſo fonte ad plenum haurire liceat, ipſo ea per ſe Domino Jeſu dignanter introducente in omnem plenitudinem veritatis theſauros ſapientiæ, ſcientiæque, qui in eo omnes abſconditi ſunt largiſſimè revelante*. Scientia autem, evincente tum lumine fidei, tum lumine naturali, Deo tribuenda eſt miro, & ineffabili modo longè diverſiſſimo ab eo, quo illa eadem nobis congruit; ſubinde non eſt ipſa in eo per modum habitus, nec memoria propriè ſivè in actu primo, ſivè in actu ſecundo, ſed cognitio, qua Deus cognoſcit omnia eſt ſimul ſcientia, intellectus, ſeu intelligentia, ſapientia, conſilium, ſeu prudentia & ars, cum quo tamen rectè ſtat dari in ipſo actum primum intelligendi virtualiter diſtinctum à ſecundo. Igitur Deus per ſuam ſcientiam non ſolùm cognoſcit ſe, ſed cognoſcit ſe per ſe ipſum, ſcribit enim S. Bernardus lib. 5. de conſid. cap. 1. num. 1 E. *Optimum videndi genus, ſi nullius egueris ad omne, quod noſſe libuerit te contentus; alioquin juvari aliunde obnoxium fieri eſt, minuſque à perfecto iſtud, & minus liberum*. Si autem Deus per ſe, ſe ipſum non cognoſceret, non eſſet in ipſo. *Optimum videndi genus*.

XIV. Perfectiſſimè Deus ſe ipſum comprehendit, quod optimè explicatur à Melliſl. lib. 5. de conſid. cap. 4. nu. 10. A. *Cernere eſt in Cherubin, qui plenitudo ſcientiæ dicuntur, Deum*

ſcien-

Digitized by Google

ſcientiarum Dominum eſſe, qui ſolus ſolam neſciat ignorantiam, qui totus ſit lux, & tenebræ in eo non ſint ullæ; totus ſit oculus, & qui minimè aliquando fallitur, quia minimè clauditur qui extra ſe non quærat lumen, cui admoveatur, ut videat ipſe, qui videt, ipſe unde videt. Hujuſmodi autem comprehenſio habet pro objecto motivo, & primario eſſentiam divinam relationes, & attributa.

XV. Cognoſcit etiam Deus alia à ſe, ita S. Doct. tract. de converſ. ad Cler. cap.9. num.18. D. *Non illius ſolis arcet radios maceria lapidum, quos ipſe creavit; non vel ipſe corporis hujus paries veritatis excludit aſpectum; nuda ſunt ejus oculis omnia, penetrabilior eſt ancipiti gladio; ipſas quoque non modo cernit, ſed & diſcernit, cogitationum vias, & medullas affectionum.*

XVI. Creaturæ poſſibiles cognoſcuntur à Deo perfectiſſimo modo tum in ſe ipſo, tamquam in cauſa & objecto prius cognito, quare S.Bern. lib.5.de conſid. cap.1. num.1. D. *Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum, nec opus habet ex his, quæ facta ſunt factoris notitiam mendicare.* Tum etiam in ſe ipſis, ut innuit S. P. ſerm.17. in cant.nu.3. C. *Eſt quippe veritatis ille ſpiritus, cui contraria falſitas eſt; eſt & ſapientia, quæ cum ſit candor vitæ æternæ, & ubique attingat propter munditiam ſuam, obſcurum ambigui non admittit.* Et in his creaturis immediatè cognitis, ſe ipſum mediatè cognoſcit, non tamen ex illis; cognoſcit quoque creaturas in quolibet divino prædicato, quod circa creaturas verſatur.

XVII. S. Bernardus ſerm.78. in cant. num.6. C. ait. *Ex quo (ut opinor) clarum ſit non otioſum eſſe, quod ſe inventam ab his ſponſa teſtata eſt; ſed propterea, quod ſe ab ipſis collectam agnoſceret, non electam; compertam, non converſam; ei nempe adſcribenda cujuſque converſio eſt, cui dicere neceſſe habent univerſi illud de pſalmo* [Pſalm.84.]

„ Converte nos Deus ſalutaris noſter. „. *Sed non æquè illi fortaſſis inventionis vocem competenter aptarim, ſicut converſionis, imò verè ſic eſt; non eſt invenire Domino, ſed prævenire, & inventionem præventio excludit. Denique quid inveniat, qui nihil umquam non novit.* Adeòque antecedenter ad decretum ſuæ voluntatis Deus non cognoſcit certò, & infallibiliter futura contingentia abſoluta in ſuis idæis, nec in ſua eſſentiâ, nec in ſupercompræhenſione cauſarum ſecundarum, nec in ſe ipſis, ſeu in eorum veritate objectiva, ſed ea cognoſcit ſuppoſito decreto prædeterminante actu exiſtente in divina voluntate antecedenter ad prævifionem conditionatam talium futurorum. Quinimò independenter à decretis abſolutis ex parte actus, & conditionatis ex parte objecti, Deus non cognoſcit futura libera conditionata in aliquo proprio prædicato neceſſario, nec in ipſorum veritate objectiva, ſed ea cognoſcit conſequenter ad propria decreta abſoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti, quæ decreta verè & propriè dantur in Deo, quod poſtremum indicat allegoricè Melliſl. ſerm.55. in cant. num.1. E. *Nunc verò quoniam ſponſus iſte etſi ardenter amans curſim ruere in dilectæ videatur amplexus, nihilominus tamen greſſus, vel potius ſaltus ſuos prudenti conſideratione dirigere novit, cautus ubi oporteat figere pedem, oportuit profectò cum binnulo etiam de caprea ſimilitudinem dari, quatenus, & per illum deſiderium ſalvantis, & per hanc eligentis exprimeretur judicium. Chriſtus nempe juſtus, & miſericors ſalvator, & judex, & quia amat vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & quia judicat, novit qui ſunt ejus, & ipſe ſcit quos elegit à principio.*

XVIII. S. P. Bernardus, & Eccleſiæ Doctor Melliſluus ſcientiam mediam in Deo numquam agnovit, ſed ſolam phyſicam prædeterminationem, ut patet ex verbis Melliflui

in

in tract. de grat. & lib. arbit, cap.10. num.33. B. *Porro illa* [ſap.8.] ,, attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit ,, omnia ſuaviter . Attingit à fine uſque ad finem ,, *hoc eſt à ſummo cælo uſque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelo, uſque ad minimum vermiculum* ,, attingit ,, *autem* ,, fortiter ,, *non quidem mobili diſcurſione, vel locali diffuſione, vel ſubjectæ creaturæ tantùm officiali adminiſtratione: ſed ſubſtantiali quadam, & ubique præſenti fortitudine, qua utique univerſa potentiſſimè movet, ordinat, adminiſtrat; & hæc omnia nulla ſui cogitur facere neceſſitate, nec enim aliqua in his laborat difficultate, ſed diſponit omnia ſuaviter placida voluntate vel certè.*,,Attingit à fine uſque ad finem, *hoc eſt ab ortu creaturæ uſq; ad finem deſtinatum à Creatore: ſivè in quem urget natura, ſivè quem accelerat cauſa, ſivè quem concedit gratia.*,,Attingit fortiter *dum nil horũ evenit, quod non prout vult potenti præordinet providentia*. Quare illud Bernardi teſtimonium, quod ab eruditiſſimo Alarcon, aliisve ſcientiæ mediȩ propugnatoribus ex ſerm.54. in cant. num.10.E. *Quamquàm tamen interdum ſubtrahitur gratia ſivè retrahitur non pro ſuperbia, quæ jam eſt, ſed quæ futura eſt, niſi ſubtrahatur* communiter affertur, nihil evincit aliud, niſi ad ſummum, quòd Deus cognoſcat decreta libera tum abſoluta, tum conditionata in eorum veritate objectiva, quod modò nos non contendimus. Hinc tanti Patris, ac eximii Doctoris ſententiæ obſequentes negamus, & excludimus à Deo ſcientiam mediam, & phyſicam amplectimur prædeterminationem, quæ eſt contradictoriè oppoſita ſcientiæ mediæ, adeòque phyſica prædeterminatio, & ſcientiã media nec ſimul conciliari, nec ſimul ſuſtineri poſſunt. Phyſica autem prædeterminatio nullatenus tollit, ſed perficit libertatem, ut poteſt inferri ex noſtro Doct. tract. de grat., & lib. arbit. cap.11. num.37. B. *Hac ſanè dignitatis (ut dictum eſt) prærogativa rationalem ſingulariter creaturam*

Digitized by Google

turam conditor inſignivit, quod quemadmodum ipſe ſui juris erat, ſuæque ipſius voluntatis, non neceſſitatis erat, quod bonus erat, ità & illa quoque ſui quodammodo juris in hac parte exiſteret, quatenus nonniſi ſua voluntate, aut mala fieret, & juſtè damnaretur, aut bona maneret, & meritò ſalvaretur. Non quòd ei propria poſſit ſufficere voluntas ad ſalutem, ſed quòd eam nullatenus ſine ſua voluntate conſequeretur. Nemo quippe ſalvatur invitus. Nam quod legitur in Evangelio [Jo.6.] „ Nemo venit ad me niſi „ Pater meus traxerit eum. „ *Item in alio loco* [Luc.14.] „ compelle intrare „ *Nihil impèdit; quia profectò quantoſcumque trahere, vel compellere videatur ad ſalutem benignus Pater, qui omnes vult ſalvos fieri; nullum tamen judicat ſalute dignum, quem ante non probaverit voluntarium. Hoc quippe intendit, cum terret, aut percutit; ut faciat voluntarios, non ſalvet invitos: quatenus cum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem.* Et num.37. D. *Deinde quod è regione ſcriptum eſt.* [Jac.1.] „ Unusquiſque tentatur à propria concupiſcentia „ abſtractus, & illectus; „ *& illud* [Sap.9.] „ corpus quod corrumpitur aggravat animam. Et deprimit terrena inha- „ bitatio ſenſum multa cogitantem. „ *Et item illud Apoſtoli* [ad Rom.7.] „ Invenio aliam legem in membris meis repu- „ gnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in „ legem peccati, quæ eſt in membris meis. „ *Hæc omnia putari poſſunt cogere voluntatem, præripere libertatem. At verò quantislibet, quis intus foriſque tentationibus urgeatur libera profectò ſemper, quantùm ad arbitrium ſpectat, voluntas erit, liberè quippè de ſuo nihilominus conſenſu judicabit.*

XIX. Excluſa igitur ſcientia media admittimus in Deo ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis. Scientia autem Dei eſt cauſa rerum ſolùm directiva, quod eſt

Digitized by Google

eſt proprium ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ prout hæc connotat actum voluntatis, colligitur ex S.Doct.ſerm.2. de circum. num.1. F. *Ab initio Deus modum acceptat, & nihil umquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit, quod non modò in pondere, & menſura, & numero condidit univerſa, ſed & protinus ipſi homini modum præſcripſit, mandatum contulit.*

XX. In ſcientia Dei continentur Idææ, quæ ſub diverſo ſenſu ſunt ſcientia, creaturæ cognitæ, eſſentia Dei cognita ut participabilis, à creatura. Scientia autem Dei continens idæas formales eſt ſimplex intelligentia. S. enim Bernard. ſerm.4. in cant. num.4. D. ita loquitur *Sanè eſſe omnium dixerim Deum, non quia illa ſunt quod eſt ille, ſed quia.* [ad Rom.11.] ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.

De Voluntate Dei.

XXI. DAri in Deo voluntatem eſt naturaliter demonſtrabile etiam demonſtratione deſumpta à metaphyſica connexione intellectus cum voluntate; ſentimus enim repugnare intellectivum non volitivum. Hanc Dei voluntatem diſertè explicavit Bernardus ſerm.4. in Vigil. Nativ. Dom. num.9. B. *Vult enim Deus fieri voluntatem ſuam, & ſuperbus vult fieri ſuam. jam videtur æqualitas: ſed attende malè congruam proportionem; Deus quidem in his tantùm, quæ ratio approbat ſuam vult fieri voluntatem, ſuperbus vero, & cum ratione, & contra rationem.* Per hanc autem voluntatem Deus vult tum ſe, tum etiam alia à ſe.

XXII. *Quod enim voluntarium, & liberum* exclamat S.Doctor ſerm.81. in cant.num.7. D. ergo cum ex ſerm-78. in cant. num.2. C. habeatur. *Deus facit quod vult ſola ipſa faci-*

Digitized by Google

facilitate volendi, ſine aſtu, ſine motu, ſine præjudicio loci, vel temporis, vel cauſæ, vel perſonæ. Hinc formaliter liberam in Deo voluntatem agnoſcimus vera, & propria, & formali libertate. Hæc autem Dei libertas conſiſtere non poteſt in aliqua perfectione, quæ poſſit tranſire de eſſe, ad non eſſe, neque in alio reſpectu rationis ad creaturas, neque in complexu ex actu Dei, & objecto creato, neque in veritatibus objectivis æternis non neceſſariis diſtinctis realiter à Deo, illique extrinſecis, quæ propriè non ſint entia realia, ſed cum addito diſtrahente dicantur entia abuſiva, vel rationis vel purè denominativa. Quamobrem actus liber divinæ voluntatis eſt ſecundùm omnem ſuam perfectionem Deo adæquatè intrinſecus, & ſpecificatur ab actu neceſſario per diverſam attingentiam divinæ bonitatis, quatenus divina voluntas prout tendit in ſuam bonitatem ſecundùm ſe, & ut potentem indifferenter participari creaturis, ſit actus neceſſarius, & prout attingit, & vult eamdem bonitatem ut determinatè participandam huic potius, quàm illi creaturæ ſit actus liber. Verumtamen talis libertas in Deo non eſt ad puram ommiſſionem formalem actus, ideoque diviſio voluntatis divinæ in volitionem, & nolitionem eſt ſimpliciter adæquata. Diviſio autem voluntatis divinæ in voluntatem beneplaciti, & voluntatem ſigni eſt analoga, diviſio verò in voluntatem antecedentem, & conſequentem eſt univoca; ſicut etiam diviſio in voluntatem efficacem, & inefficacem, ideſt utraque diviſio eſt in voluntates, quæ propriè, & formaliter in Deo exiſtunt.

XXIII. A voluntate divina procedit amor, quo amat ſe ipſum, qui amor eſt omnino neceſſarius tum quo ad ſpecificationem, tum quoad exercitium ex ſerm. 70. in cant. num. 2. F. *Qui in altiſſimis eſt Dominus in imis eſt dilectus, ſuper ſydera regnans, & inter lilia amans; Amabat, & ſuper ſydera, quia nuſquam, & numquam potuit non amare, quia*

amor

amor eſt. Hujuſmodi autem amor non eſt amicitiæ; Imò neque amor unius divinæ perſonæ erga aliam eſt rigoroſæ amicitiæ formaliter, ſed ſolùm eminenter dici poteſt talis.

XXIV. Deus amat creaturas rationales amore benevolentiæ ipſis bona conferendo teſte Melliſl. ſerm. 22. nu. 9. E. *Totum ergo quod es illi debes, à quo totum habes; illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi*. Amor autem ſupernaturalis inter Deum & Creaturam eſt amicitiæ ex eodem ſerm. *69*. in cant. num. 8. A. *Denique ait* [Prov. 8.] „ Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilaverint ad „ me, invenient me „. *Vides quomodo non ſolùm de amore ſuo certum te reddat; ſi quidem tu ames illum; ſed etiam de ſua ſollicitudine, quam protegerit, ſi te ſenſerit ſollicitum ſui. Vigilas tu? Vigilat, & ipſe. Conſurge in nocte in principio vigiliarum tuarum, accelera quantumvis; etiam ipſas anticipare vigilias, invenies eum non prævenies*.

XXV. Creaturas irrationales amat Deus amore concupiſcentiæ, dum ordinat eas in bonum creaturæ rationalis; amore autem ſimplicis complacentiæ amat creaturas poſſibiles. Ex ſerm. 20. in cant. num. 2. E. *Ecce quomodo dilexit. Adde quòd hanc ipſam dilectionem non reddidit, ſed addidit. Nam* [ad Rom. 11.] „ qui prior dedit ei, & re- „ tribuetur ei „. *Sed ut Sanctus Joannes Evangeliſta ait*. [1 Joannis 4.] „ Non quia nos dilexerimus Deum, ſed „ quia ipſe prior dilexit nos „. *Denique dilexit etiam non exiſtentes*.

XXVI. In Deo etſi propriiſſimè amor detur, non tamen rigoroſè ſpes, vel deſiderium; & ad ſummùm deſiderium, ſi datur, eſt in ordine ad creaturas, non autem in ordine ad ſe. Triſtitia, dolor, timor, & ira longè abſunt à Deo; cùm enim ira ſit paſſio hominum certè in Deo dari haud umquam poterit. Docente Melliſl. ſerm. 13. in pſal. 90. n. 5.

Digitized by Google

A. *Affectio naturalis ita hominum eſt, ſed abutentibus bono naturæ gravis perditio eſt, & miſeranda pernicies.*

De Deo Prædeſtinante.

XXVII. DAtur prædeſtinatio, & hoc ſanctum eſt de fide. Hæc autem prædeſtinatio ſecundùm ſe ſumpta eſt in Deo ab æterno, ut docet S. D. ſerm. 78. in cant. num 3. D. *Prædeſtinatio non dico ab exortu Eccleſiæ, ſed ne à mundi principio quidem principium habuit, non denique à tempore illo, vel illo, ante tempora eſt.* Eſt autem prædeſtinatio opus intellectus, & voluntatis divinæ ex S.P. Bern. ſerm. 23. in cant. num. 15. F. *Generatio cæleſtis æterna prædeſtinatio eſt, qua electos ſuos Deus dilexit, & gratificavit in dilecto filio ſuo ante mundi conſtitutionem.*

XXVIII. Prædeſtinatio licet ſecundùm ſe conſiderata, quatenus eſt actus increatus Dei prædeſtinantis nihil ponat in prædeſtinato, tamen prout dicit executionem aliquid in prædeſtinato ponit, ſuſceptionem ſcilicèt beneficiorum Dei. Ex N.D. Epiſ. 107. num. 10. E. *Hoc itaque eſt illud ſacrum, ſecretumque conſilium, quod à Patre Filius in Spiritu Sancto accipiens, ſuos, quos novit per eumdem Spiritum juſtificando eos, communicat, & communicando juſtificat, quando id quiſque accipit in ſui juſtificatione, ut incipiat, & ipſe cognoſcere, ſicut & cognitus eſt, cùm videlicet, datur & ipſi præſentire aliquid de ſua ipſius beatitudine, quemadmodum ab æterno latuit in prædeſtinante, pleniùs appariturum in beatificante. De qua tamen jam percepta ſuimet ex parte notitia, interim quidem gloriatur in ſpe, nondum tamen in ſecuritate.*

XXIX. Cauſa moralis omnium, aut primi effectus prædeſtinationis non ſunt merita naturalia, ſeu bona opera viribus naturæ elicita, nec eſt initium aliquod ſalutis viribus

na-

Digitized by Google

naturæ poſitum conſiſtens in quodam naturali conatu voluntatis, vi cujus eliciatur fidei actus, ſeu pius affectus credendi, cujus intuitu Deus tribuat dona gratiæ ad obſervantiam præceptorum, ad juſtificationem, & ſalutem. De facto tamen Chriſtus Dominus eſt cauſa moralis tum omnium, tum primi effectus noſtræ prædeſtinationis. S. enim Pater ſerm.2. in vigil. nativ. Dom. num.7. C. dicit. *Quis enim implendum dubitet, quod promiſit Filio dicens* [Pſal.2.] „ Poſtula à me & dabo tibi gentes hęreditatem tuam „ *&* *alibi* [Pſal.109.] „ ſede à dextris meis donec ponam ini-„ micos tuos ſcabellum pedum tuorum „ *Non conterentur omnes inimici ejus, dum nos qui ſumus membra ejus aliquatenus impugnabunt*; *non implebitur hæc promiſſio, donec noviſſima inimica deſtruatur mors*; *nam de Filio quis neſciat, quantum deſideret fructum nativitatis, crucis, & mortis ſuæ prætium ſanguinis prætioſi. Nonne traditurus eſt regnum Deo & Patri quod aquiſivit? Nonne ei reſtauraturus eſt creaturas ſuas, pro quibus Pater illum miſit in terras?*

XXX. De facto electio efficax ad gloriam; eſt prior ea, quæ ad gratiam, ſeu quod eodem revolvitur, electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam eſt ante eorum merita tum abſolutè, tum conditionatè prævila, & ante merita cujuſcumque alterius puri hominis à prædeſtinato tum abſolutè, tùm conditionatè prævilà. S. enim Bern. ſerm.84. in cant. num.5. F. ita ſcribit. *Huc te provocat anticipantis benignitas illius, qui te, & prior quæſivit, & prior dilexit, minimè prorſus niſi prius quæſita quæreres; ſicut nec diligeres niſi dilecta prius. Non in una tantùm benedictione ſed in duabus præventa es dilectione, & quæſitione, dilectio cauſa quæſitionis, quæſitio fructus dilectionis eſt, & certitudo. Dilecta es, ne ad ſupplicium potius quæſitam ſuſpiceris; quæſita es ne fruſtra dilectam conquereris. Utraque tam amica comperta ſuavitas, & auſum dedit, & Verecundiam depulit,*

Digitized by Google

pulit, & reditum perſuaſit, & movit affectum.

XXXI. Inter prædeſtinationis effectus numeramus principalitèr glorificationem *nam liberatio plena*, ait S. P. ſerm. 16. in pſal.90. num.2. F. *atque perfecta ante diem ſepulturæ eſſe non poterit, quod maneat jugum grave ſuper filios Adam à die exitus de ventre Matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. In hac ergo die eripiam eum, inquit, quando nil jam ultra, quod vel corpori, vel animæ faciat mundus habebit; ſanè glorificatio diem ultimum manet, diem reſurrectionis, quando ſurget in gloria, quod in ignominia interim ſeminatur.* Et in prædeſtinatis etiam vocationem tum efficacem, tum inefficacem ſupernaturalem internam, atque gratiam tum inefficacem, tum efficacem interruptam per peccatum mortale, & reparatam per pœnitentiam, item actus ſupernaturales, etiam ut ſunt à libero arbitrio.

XXXII. Omnes perfectiones naturales prædeſtinati, non quidem per ſe immediatè, & elicitivè, ſed ordinativè, extrinſecè, & mediatè, & quodammodo imperativè ſunt effectus prædeſtinationis, & etiam ut plurimùm opera naturalia moraliter bona; imò ipſam ſubſtantiam prædeſtinati recenſemus inter effectus prædeſtinationis, Peccatum tamen ſecundùm ſe nec in prædeſtinatis eſt effectus prædeſtinationis, benè tamen ut plurimùm permiſſio peccatorum in prædeſtinatis non per ſe, immediatè, & elicitivè, ſed ordinativè, & extrinſecè eſt effectus prædeſtinationis, ut explicat S. Pater Bern. ſerm.1. de Div. num.6. B. *Omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter hæc omnia, etiam ea, quæ nihil ſunt, numerentur; moleſtia, morbus, & ipſa mors, etiam & peccatum, quæ quidem conſtat naturas non eſſe, ſed naturæ corruptiones. An verò ei peccata ipſa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ſollicitior, timoratior, & cautior invenitur?*

De

Digitized by Google

De Deo Reprobante.

XXXIII. EX Angelico Præceptore cùm reprobatio ſit præſcjentia iniquitatis, & pœnæ præparatio, hinc reprobatio poſitiva, ſtante etiam elevatione creaturæ intellectualis ad finem ſupernaturalem, non habetur niſi poſt præviſa demerita. Ex Melliſl. ſerm.23. in cant. num.12. D. *Pavendum valde, quòd in propheta de hujuſmodi legimus, ubi loquens ad Angelos ſuos Deus ſic ait.* [Iſa.26.] „ Miſereamur impio „ *quibus paventibus, atque quærentibus* „ non „ *ergo* „ diſcet facere juſtitiam „ ? *non, inquit, ſubdenſque cauſam.* „ in terra „ *ait* „ ſanctorum „ iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.

XXXIV. Univerſalis cauſa reprobationis poſitivæ omnium adultorum non eſt peccatum originale, ſed ſolum finale ſivè originale, ſivè perſonale lethale, reſpectu parvulorum eſt peccatum originale. Ex Melliſl. tract. de baptiſ. cap.2. num.6. A. *Sanè parvulis, & nec dum ratione utentibus, quia ſola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati prævaricatio...... In majori ætate quiſquis poſt vulgatum ubique Baptiſmi remedium, renuit jam baptizari, generali, originalique maculæ addit, & ex proprio crimen ſuperbiæ duplicem ſecum portans juſtiſſimæ damnationis cauſam, ſi ſic de corpore exire contigerit.*

XXXV. Nec creationem, nec ſubſtantiam reprobi, nec bona, ſeu dona ſupernaturalia, nec perfectiones naturales in reprobis numeramus inter effectus poſitivæ reprobationis, cùm bona ſint, & à Deo ſint *Genus clarum*, ait Bern. Epiſt. 104. num.1. C. *corpus aptum, forma elegans, ingenium velox glorioſa quidem ſunt, ſed ei, à quo ſunt.*

XXXVI. Permiſſio peccati originalis non eſt effectus poſitivæ reprobationis. *Durum nimis*, inquit Bern. tract. de

bapt.

Digitized by Google

bapt. cap.1. num.1. D. *auſterumque videtur*, *ut videlicet verbum adhuc abſconditum palam jam noceat*, *& ante judex feriat*, *quam minetur*, *quodque interim in tenebris loquitur*, *& in aure*, *ſalvator nondum quidem ſalvet*, *quia nondum apparet*, *& jam mundum impleat comdemnatis*. Imò neque ſubſequentia peccata perſonalia ſunt effectus poſitivæ reprobationis; licèt permiſſio alicujus peccati finalis ſit effectus poſitivæ reprobationis. S. Doctor. tract. de grad. humil. cap.21. num.51. C. hæc habet. *At poſtquam terribili Dei judicio prima flagitia impunitas ſequitur*, *experta voluptas libenter repetitur*, *repetita blanditur*, *concupiſcentia reviviſcente ſopitur ratio*, *ligat conſuetudo*. *Trahitur miſer in profundum malorum*, *traditur captivus tyrannidi vitiorum*, *ita ut carnalium voragine deſideriorum abſorptus*, *ſuæ rationis*, *divinique timoris oblitus dicat* [Pſal.13.] „ inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. „

De Libro Vitæ, & Mortis.

XXXVII. S. Bernardus tract. de grat. & lib. arbit. c.13. num.44. D. ait *operatur ergo illorum ſalutem*, *quorum nomina ſunt in libro vitæ*, datur ergo liber vitæ, qui nihil aliud eſt, quàm firma, & infallibilis notitia, qua Deus cognoſcit qui ſunt ejus.

XXXVIII. Qui ſemel aſcriptus eſt in libro vitæ, numquam delebitur propter immutabilem Dei voluntatem, qua etiam immutabilis redditur numerus electorum teſte Melliſl. ſerm.2. de aſcenſ. num.5. F. *Propoſitum namque Dei ſuper illos manet immobile*, *& miſericordia hæc ab æterno*, *& uſque in æternum ſuper timentes eum ab æterno per prædeſtinationem*, *in æternum per glorificationem*. Adeoque liber vitæ eſt ſimplicitèr in ordine ad gloriam, ſubdit enim S. D. *Quis ſcit*, *ſi omnium veſtrum*, *quos hic video*, *nomi-*

Digitized by Google

nomina ſcripta ſunt in cælis , & in libro prædeſtinationis annotata .

XXXIX. Præter librum vitæ Deus etiam in aliquo proprio ſenſu habet librum mortis, *quo ſupra rationalem* ait Melliſl. ſerm.23. in cant. nu.12. C. *reprobam quidem creaturam , immobilis vigilat ſecretiſſima , & ſeveriſſima animadverſio juſti judicis Dei terribilis in conſiliis ſuper filios hominis .* Adeoque liber mortis eſt cognitio firma , & infallibilis omnium damnatorum .

XL. Liber vitæ , & liber mortis differunt in hoc à prædeſtinatione , & reprobatione , quod liber vitæ , & liber mortis dicunt ſolum actum intellectus , at prædeſtinatio , & reprobatio dicunt ſimul actum intellectus , & voluntatis . De reliquo liber mortis eſt æquè immutabilis , ac ſit liber Vitæ dicente Melliſl. ſerm.2. de Aſcenſ. num.5. F. *Similiter & in reprobis terribilis eſt ſuper filios hominum , & utrinque ſtat fixa ſententia , & in his , qui ſalvi fiunt , & in his qui pereunt .*

DE DEO TRINO.

I. DIvina revelatione ſecluſa myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis , nec evidenter poſitivè , nequidem ex creaturis ordinis ſupernaturalis , nec probabiliter cognoſci poteſt lumine naturæ , ſed ſolùm evidenter negativè , quare S.D. ſerm.78. de div. num.1. E. hanc notitiam ſequentibus verbis ab humanis mentibus excludit *ſicut de Chriſto duo ſunt , unum nobis incognitum , ſcilicet generatio divina , de qua ſcriptum eſt* [Iſa.53.] „ Generationem ejus quis enarrabit „ ? *Alterum cognitum , ut generatio , vel opera humana , ita etiam de Spiritu-Sancto , aliud ejus noſtris eſt mentibus occultum , ſci-*

Digitized by Google

ſcilicet quomodo procedat à Patre, *& Filio*, *cum ſit æqualis*, *& coæternus eidem Patri*, *& Filio*. Suppoſita tamen revelatione Trinitatis, poteſt ea lumine naturæ probabiliter ſuaderi. Unde Doctor Melliſl. ſerm.9. de div. num.1. E. ait [ad Rom.1. „ Inviſibilia Dei „ *Apoſtolo teſte* „ à creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. *Et eſt veluti communis*, *& quidam liber*, *& catena alligatus*, (*ut aſſolet dici*) *ſenſibilis mundus iſte*, *ut in eo ſapientiam Dei legat*, *quicumque voluerit*. *Erit tamen cum cœlum plicabitur ſicut liber*, *in quo utique nemo deinceps legere habeat neceſſe eſt*. *quoniam* [Joan.6.] „ erunt omnes docibiles Dei „. Stante igitur ea ſuppoſitione haberi poteſt demonſtratioTheologica ejuſdem myſterii lumine naturæ adjuto lumine fidei. Quinimò viator de potentia Dei abſoluta habere poteſt evidentiam abſtractivam Trinitatis tum in atteſtante, tum in actu ſupernaturali habente pro objecto Trinitatem, tum in aliquo alio effectu ſupernaturali terminativè directo ad Deum, ut Trinum; tum etiam in unione hypoſtatica, ex hac tamen non haberetur evidentia Trinitatis, magis quam ex quolibet alio dono ſupernaturali. Pariter non repugnat in viatore cognitio Trinitatis per ſpeciem ipſius propriam. De facto non datur in viatore evidentia Trinitatis per lumen theologicum medium inter lumen fidei, & lumen gloriæ, quamquam divinitùs tale lumen non repugnet.

De Proceſſionibus Divinis.

II. DAntur in divinis proceſſiones, quarum ratione una perſona procedit ab alia docente Melliſl. ſerm.5. de Verb. Iſa. num.3. F. *Jam verò quod dicitur à Patre ambulantem ſignificat*; *& ad eum*, *quem proximè*, *ipſo præſtante celebraturi ſumus*, *ſpectat Incarnationis ejus adven-*

Digitized by Google

ventum. *Hinc nimirum*, *& ipſe ait* [Joan.8.] „ Ego enim „ à Deo proceſſi & veni „. Proceſſio autem eſt emanatio unius perſonæ ab alia, adeoque cùm in divinis duæ ſint perſonæ procedentes, duæ etiam erunt proceſſiones. Unde S.D. ſerm.1. in feſto Pentec. num.1. D. ait *De Filio autem magnum aliquid novi*, *ejus gratia*, *ſcilicet Incarnationem*, *nam* [Iſa.53.] „ generationem ejus quis enarrabit „? *Jam*, *& de Spiritu-Sancto*, *ſi non proceſſionem*, *quo ex Patre*, *Filioque procedit*, (*illa enim* [Pſal.138.] „ mirabilis facta „ eſt ſcientia ex me, confortata eſt, & non potero ad „ eam „. *Novi tamen aliquid &c.* Hæ autem proceſſiones non ſe habent veluti cauſæ, & effectus, quatenus procedens habeat aliud eſſe ab eo, à quo procedit, interrogante Melliſl. ſerm.2. de annunc. num.2. E. *quæro igitur*, *qua ratione*. *Filius magis incarnatus ſit*, *quàm Pater*, *aut Spiritus Sanctus*, *cùm totius Trinitatis non modò æqualis ſit gloria*, *ſed una*, *eademque ſubſtantia*. Proceſſiones autem divinæ non ſunt immediatè, à natura divina, ut principio quo proximo, ſed tantùm ut principio quo mediato, & remoto. Sunt tamen ab intellectu, & voluntate, tamquam à principio quo immediato, & proximo, itaut intellectio, & volitio in divinis ſint ſimul proceſſiones, & principia quo proceſſionum, non quidem intellectio, & volitio eſſentiales ſecundùm ſe præciſè conſideratæ, ſed quatenus affectæ ſpeciali relatione Perſonæ producentis. Per hoc tamen relatio in divinis non eſt principium quo adæquatum, nec principium quo inadæquatum divinarum proceſſionum, ſed ſe tenet ex parte principii quo tamquam pura conditio requiſita non tantùm ut divina eſſentia producat, ſed etiam ut ſit potentia productiva.

III. Sola proceſſio Verbi dicitur generatio, non autem proceſſio Spiritus-Sancti, quod exprimitur à S. D. ſerm.1. in Vigil. Nativ. Dom. num.1. F. *Quis non miretur*, *naſci-*

tur Altiſſimi Filius Deus de Deo genitus ante ſæcula.

IV. *Audi de Imagine prius* exclamat Melliſl. ſerm.80. in cant. num.2. C. *Verbum eſt veritas, eſt ſapientia, eſt juſtitia, & hæc Imago, cujus? Juſtitiæ, ſapientiæ, & Veritatis. Eſt enim Imago hæc juſtitia de juſtitia, ſapientia de ſapientia, veritas de veritate, quaſi de lumine lumen, de Deo Deus.* Ratio igitur propter quam ſecunda Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis eſt Filius, non tertia, eſt, quia ſecunda Perſona procedendo per intellectum ex vi ſuæ proceſſionis qua talis procedit in ſimilitudinem naturæ. Tertia Perſona autem procedendo per voluntatem, ut proceſsio eſt per voluntatem, non procedit in ſimilitudinem naturæ, ſed per actionem inclinativam, non autem per actionem generativam. Quare Doctor Melliſl. tract. de error. Abael. cap.1. num.3. A. *Deindè ſi Filius de ſubſtantia Patris eſt, Spiritus Sanctus non eſt, differant neceſſe à ſe invicem non ſolùm quia Spiritus-Sanctus genitus non eſt, quòd Filius eſt; ſed etiam &c.*

De Relationibus Divinis.

V. DAntur in Deo ad intra relationes reales etiam ſecundùm *ad*, & terminantur ad relativum formaliter ſuo modo, ita docet S.P. tract. de error. Abael. c.3. num.5. D. *Alia illa ſunt profectò vocabula, quæ non ad ſe ipſos dicuntur, ſed ad alterutrum, & ideo eſt cuique ſuum, & non commune cum altero. Nam qui Pater eſt, Filius non eſt, & qui Filius eſt, Pater non eſt, quoniam non quoad ſe, ſed quo ad Filium Pater eſt, Patris nomine deſignatur; & item nomine Filii, non quod ad ſe Filius, ſed quod eſt ad Patrem exprimitur.* Hinc quatuor ſunt in Deo relationes Originis, videlicet Paternitas, Filiatio, ſpiratio activa, ſpiratio paſsiva, non tamen ſunt quatuor res, nec etiam relativæ.

tivæ. Præter iſtas autem relationes non dantur in Deo ad intra relationes reales v. g. ſimilitudinis, & æqualitatis inter divinas perſonas.

VI. Ex illis relationibus tres ſunt inter ſe realiter diſtinctæ; ſpiratio activa autem virtualiter diſtinguitur à Paternitate, & Filiatione, dicente Melliſl. lib. 5. de conſid. c. 7. num. 15. D. *Quaternitas orbem diſterminat, non ſignat Deitatem, Deus Trinitas eſt, Deus Trium, ſingula perſonarum*. Et poſt pauca *at meliùs quartum hoc omnino reſpuimus, quàm ſine honore recipimus. Multa dicuntur eſſe in Deo, & quidem ſanè, catholicèque ſed multa unum*.

VII. Relationes divinæ, formaliter dicunt perfectionem etiam ſecundùm eſſe *ad* & verè ſunt in Deo tres perfectiones relativæ realiter diſtinctæ. Huic ſententiæ non opponitur Bernardus, illis verbis ex tract. de error. Abael. cap. 2. num. 4. E. *ille verò pro ſua poſſibilitate divinam æſtimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat diſpar, ubi eſt totum ſummum, nil diſtans ubi totum eſt unum, nil denique imperfectum vel egens, ubi totum eſt totum. Totum nempè eſt Pater, quod Pater, & Filius, & Spiritus-Sanctus; Totum Filius, quod ipſe, & Pater, & Spiritus-Sanctus, totum Spiritus Sanctus, quod & ipſe, & Pater & Filius*. Loquitur enim de abſolutis; neque dicas, hos, per hoc quod relationes ſecundùm eſſe *ad* dicant perfectionem, admittere perfectionem aliquam majorem in Trinitate, quàm in Unitate, vel ſingulis perſonis, fatemur enim cum Melliſl. ibidem *Totum Unum, nec ſuperabundans in tribus, nec imminutum in ſingulis*.

VIII. Illæ relationes etſi prædicamentales appellari poſſint, quatenus ſunt ab omni imperfectione depuratæ, abſolutè tamen ſunt traſcendentales, nec realiter ab eſſentia diſtinguuntur S. Bernardus lib. 5. de conſid. cap. 8. n. 18. F. ita loquitur. *Numera ergo ſi potes aut ſine ſubſtantia*

Digitized by Google

perſonas, quæ ipſa ſunt, aut ſinè perſonis proprietates quæ ipſa ſunt. Aut ſi quis dividere conetur vel perſonas à ſubſtantia, vel proprietates à perſonis neſcio, quomodo Trinitatis ſe profiteri cultorem poſſit qui in tantam rerum numeroſitatem exceſſerit.

De Perſonis Divinis in communi.

IX. DAntur in Deo & ratio Perſonæ, & Perſonarum Trinitas, dicente melliſl.lib.5. de conſid. cap.7. num.17. D. *Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum-Sanctum, non tamen tres Deos, ſed unum. Quid ſibi vult iſte (ut ſic loquar) abſque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus? Sed habeo (inquis) quid numerem, & quid non numerem; ſubſtantia una eſt, perſonæ tres ſunt.* Datur autem realis identitas inter divinam eſſentiam, & perſonas, quod comprobatur ex eodem lib.5. de conſid. cap.8. num.18. F. *Perſonarum proprietates non aliud, quàm perſonas, ipſaſque non aliud, quàm unum Deum, unam divinam ſubſtantiam, unam divinam naturam, unam divinam, & ſummam majeſtatem Fides catholica confitetur.*

X. Perſonæ divinæ verè, & propriè conſtituuntur ex eſſentia & proprietatibus perſonalibus. Quare S.P. ſerm.71. in cant. num.10. E. inquit. *Hæc dicta ſint ad dandam differentiam inter illam connexionem, qua Pater, & Filius unum ſunt, ne forte quia legitur de homine manente in charitate, quia in Deo manet, & Deus in eo; & item de Filio quòd nihilominus in Patre ſit, & Pater in ipſo; par prærogativa adoptati putaretur, & Unici.*

XI. Proprietates perſonales in divinis non ſunt abſolutæ, nec ſunt origines, ſed ſunt relationes, adeout per iſtas formaliter, & ultimò perſonæ conſtituantur. *Nec*

enim

enim inquit N.S.D. ex tract. de error. Abael. cap.2. n.4.A. *Verum ſummumque bonum quod ſunt inter ſe particulariter dividunt, quoniam nec participaliter id poſſident; ſed hoc ipſum eſſentialiter ſunt. Nam quod alter, ex altero, vel alter ad alterum veraciſſimè dicitur perſonarum ſanè deſignatio eſt.*

XII. Operatio trium Perſonarum ad extra eſt indiviſa, ſcilicet, communis omnibus tribus Perſonis ex Doct. Melliſl. ſerm.2. in feſt. Pentecoſt. num.2.E. *Eia igitur Fratres cogitemus ſuper nos, & in nos opera Trinitatis ab initio Mundi uſque ad finem, & videamus quàm ſollicita fuerit illa Majeſtas, cui adminiſtratio pariter, & gubernatio ſæculorum incumbit, ne nos perderet in æternum.*

De Perſona Patris.

XIII. RAtio Principii tum ad intra, tum ad extra propriè convenit primæ Perſonæ divinæ. *Lux enim eſt* inquit S.Doct. ſer.4. in vigil. Nativ. Dom. n.9.D. *Propter ſerenitatem, pax propter tranquillitatem, fons propter affluentiam, & æternitatem. Fontem aſſigna Patri, ex quo naſcitur Filius, & procedit Spiritus-Sanctus.* Tamen rigoroſè Pater dici nequit cauſa Filii, quia coæternus eſt Patri. *Siquidem ipſe eſt*; ait Bern. ſerm.5. in Nativ. Dom. num.2.F. *de quo legimus* [Pſal.102.] „ miſericordia Domini „ ab æterno. „ *Alioquin quid coæternum Patri, niſi Filius, & Spiritus Sanctus.*

XIV. Nomen Patris prout notionaliter ſumitur ad intra propriè, & ſoli primæ Perſonæ convenit. Quare S. Bern. ſerm.1. in Cap. jejun. num.3. D. *Manet Domini ſpiritus ſuper ipſum, & unctum ab eo quis dubitet* [Matth.3.] „ Hic eſt „ Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui „ *Hæc*

planè

planè ſpiritalis unguenti fragrantia eſt. Unxit Pater Filium præ participibus ſuis, in quo præ cæteris complacet ſibi. Pater enim diligit Filium affectu utique divino, & inexperto omni creaturis. Unxit inquam Pater Filium præ participibus ſuis accumulans ſuper eum univerſa chariſmata benignitatis, manſuetudinis, & ſuavitatis, abundantiùs eum replens viſceribus miſericordiæ, & miſerationis.

XV. Innaſcibilitas eſt notio propria Patris, quatenus dicit negationem cujuſcumque proceſſionis perſonalis ab alia perſona, ut mellitè explicat S.Doct. ſerm.3. de Pentec. num.7. B. *Quid igitur reſtat, niſi ut Spiritu principali confirmeris? Patrem intellige ſpiritum principalem, non quòd major, ſed quòd ſolus à nullo, cùm ab eo ſit Filius, Spiritus Sanctus ab utroque.*

De Perſona Filii.

XVI. SOli ſecundæ Perſonæ divinæ convenit nomen Filii. *Naſcitur* inquit S.D. ſerm.1. in vigil.Nativ. Dom.n.1.F.*Altiſſimi Filius, Deus, de Deo genitus ante ſæcula, naſcitur verbum infans.*

XVII. Sola etiam ſecunda Perſona divina, verè, & propriè, & non metaphoricè Verbum nominatur, & eſt, ſic S. Bern. tract. de grad. humil. c.7. num.21. A. *Dei quippe Filius, Verbum ſcilicet, ac ſapientia Patris primum quidem illam animæ noſtræ potentiam quæ ratio dicitur, cùm reperit carne depreſſam, peccato captivam, ignorantia cæcam, exterioribus deditam, clementer aſſumens, potenter erigens, prudenter inſtruens, introrſum trahens, ac mirabiliter utens, tamquam pro ſe vicariam ipſam ſibi judicem ſtatuit, itaut pro reverentia verbi, cui conjungitur ipſa ſibi accuſatrix, teſtis, & judex contra ſe veritatis fungatur officio.* Poteſt etiam in aliquo ſenſu ſermo appellari, licet ſermo me-

liùs

Digitized by Google

liùs dicatur de Verbo Divino incarnato, quàm de Verbo Divino ſecundùm ſe, teſte Melliſl. ſerm.55. in cant. n.1. D. *Porro ſermo de ſponſo eſt, & ſermo ſponſus eſt; & propheta dicit de Deo quia* [Pſal.147.] „velociter currit ſermo ejus.„ *ſanè congruens huic loco, ubi ſponſus, qui ſermo Dei eſt ſaliens tranſilienſque deſcribitur, ſimilis proindè factus capreæ hinnuloque cervorum*.

XVIII. *Qui plenitudinem capit, oſculum de ore ſumit* docet Bernard. ſerm.8. in cant. nu.8. D. *Qui vero de plenitudine, oſculum de oſculo recipit. Magnus quidem Paulus, ſed quantumlibet ſurſum, porrigat os, etiamſi ſe uſque ad tertium cœlum extendat, citra os Altiſſimi tamen neceſſe eſt ut remaneat, & modo ſuo contentus in ſe ſubſiſtat, & cùm pertingere ad vultum gloriæ non valebit, condeſcendi ſibi, & ex alto tranſmitti oſculum humiliter petat. Qui verò non rapinam arbitratur eſſe ſe æqualem Deo, itaut audeat dicere* [Joan.10.] „Ego & Pater unum ſumus. „ *Quia ex æquo conjungitur, ex æquo complectitur, non oſculum de loco inferiori mendicat, ſed pari celſitudine os ori conjungit, & ſingulari prærogativa oſculum de ore ſumit*. Ergo cum ex Melliſluo Doctore Verbum non de plenitudine, ſed plenitudinem, de ore Patris accipiat procedit formaliter per ſe,& propriè ex cognitione Divinæ eſſentiæ, attributorum, omniumque divinarum perſonarum, & etiam poſſibilium. Non tamen futurorum, & contingentium.

XIX. Ratio imaginis eſt omnino propria Filii, ita docet Melliſl. ſerm.2. in Nativ. Dom. num.4. C. *Novam inquit ego facio commixturam, ubi, & expreſſius, & robuſtius pono ſigillum, eum, qui non ad imaginem meam factus eſt; ſed eſt ipſa imago, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ non factus, ſed genitus ante ſæcula*.

De

Digitized by Google

De Perſona Spiritus Sancti.

XX. NOmen Spiritus Sancti eſt notionaliter nomen proprium Tertiæ Perſonæ Divinæ. Ità docet S. Doct. ſerm. 3. in feſt. Pent. num. 2. F. *Spiritus tamen Sanctus, quaſi ſpecialiter Spiritus dicitur, quòd ab utroque procedat firmiſſimum, & indiſſolubile vinculum Trinitatis: tamquam propriè Sanctum quod ſit donũ Patris, & Filii; omnem ſanctificans creaturam, quamvis Pater quoque, & Spiritus, & Sanctus, & Filius, & Spiritus, & Sanctus ſit.*

XXI. Spiritus Sanctus de facto procedit à Patre, & Filio, ut exclamat S. Doct. tract. de error. Abael c. 1. num. 3. C. *Deſinat ergò Spiritus-Sancti proceſſionem à Patris Filii que ſubſtantia ſeparare.* Pater autem & Filius licèt ſint duæ perſonæ ſpirantes, ab ipſis tamen, tamquam ab unico principio procedit Spiritus-Sanctus.

XXII. S. Bernardus ſerm. 8. in cant. num. 1. B. ait. *Illa itaque mutua gignentis, genitique cognitio pariter, & dilectio quid niſi oſculum eſt ſuaviſſimum, ſed ſecretiſſimum* & nu. 2. D. *Oſculum profectò fuit. Quid? Corporeus ille flatus? Non. Sed inviſibilis Spiritus. Qui propterea in illo Dominico flatu datus eſt, ut per hoc intelligeretur; & ab ipſo pariter tamquam à Patre procedere tamquam verè oſculum, quod oſculanti, oſculatoque commune eſt.* Ergo nec de poſſibili Spiritus-Sanctus, ut de facto eſt, poteſt procedere à Patre; quin etiam à Filio procedat, cùm de facto Spiritus-Sanctus oſculum ſit. Oſculum autem etiam de poſſibili neceſſariò debet eſſe inter duos oſculantes ſe invicem.

XXIII. *Miror*, inquit S. Bern. tract. de error. Abael. c. 1. num. 3. A. *Hominem acutum, & ſciolum, ut quidem ipſe ſibi videtur quomodo cùm Spiritum-Sanctum fateatur*

Patri,

Digitized by Google

Patri, & Filio conſubſtantialem, neget tamen ex Patris, Filiique prodire ſubſtantia. Quapropter ſi Spiritus-Sanctus in quacumque ſuppoſitione eſt Patri & Filio conſubſtantialis, etiam à Patre & Filio debet procedere. Quare ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, nec diſtingueretur realiter ab ipſo.

De Notionibus, & actibus notionalibus.

XXIV. OMninò in divinis admittendæ ſunt notiones. Notio autem eſt quædam propria ratio exiſtens in aliqua perſona divina, tamquam ratio ipſam cognoſcendi; & ad ejus dignitatem ſpectans; propterea S. Bern. ſerm. I. in feſto Pentecoſt. num. I. B. inquit *Hodie Spiritus Sanctus revelat nobis aliquid de ſe ipſo, ſicut ante de Patre, & Filio aliquid noveramus, nam perfecta Trinitatis cognitio vita æterna eſt.*

XXV. Quinque autem ſunt notiones in divinis, ſcilicet, Innaſcibilitas, quam S. Doct. agnovit ſerm. 3. de Pent. num. 7. B. *Quid igitur reſtat, niſi ut ſpiritu principali confirmeris? Patrem intellige ſpiritum principalem, non quòd major, ſed quòd ſolus à nullo.* Paternitas, quam confitetur S. Bern. ſerm. 4. in vigil. Nativ. num. 9. D. *Fontem aſſigna Patri, ex quo naſcitur, Filius, & procedit Spiritus-Sanctus.* Filiatio, quam veneratur Melliſl. ſerm. I. in vigil. Nativ. num. I. F. *Naſcitur Altiſſimi Filius, Deus de Deo genitus ante ſæcula.* Spiratio activa, & ſpiratio paſſiva, quas accerrimè propugnat S. Abbas Clarevall. in tract. de error. Abael. cap. I. num. 3. C. illis vocibus *deſinat ergo Spiritus-Sancti proceſſionem à Patris, Filiique ſubſtantia ſeparare.* Quapropter Patri conveniunt tres notiones, duæ propriæ Paternitas & Innaſcibilitas, tertia communis Filio, ideſt ſpiratio activa. Filio autem duæ notiones conveniunt, nimi-

Digitized by Google

rùm Filiatio propria,& ſpiratio activa communis Patri. Spiritui-Sancto convenit una ſolum notio, nempè ſpiratio paſſiva.

XXVI. Actus notionales non ſunt liberi libertate aut excludente neceſſitatem, aut oppoſita naturalitati, ſed ſunt liberi libertate oppoſita coactioni, & violentiæ, & etiam ſunt voluntarii voluntate eſſentiali comitante, aut potius ſubſequente, importanſque complacentiàm. Ex Melliſl. ſerm.1.in cap. jejun.num.3 D.*Complacet ſibi Pater in Filio. & dum vox ſonat in æthere deſcendit Spiritus in columba. Putatis fratres, quia Chriſti Baptiſmo Chriſma defuerit. Manet Domini Spiritus ſuper ipſum, & unctum ab eo quis dubitet.* [Matth.3.],, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.

De Miſſionibus Divinis.

XXVII. DAtur miſſio in Divinis, & eſt proceſſio unius Perſonæ ab alia in ordine ad aliquem terminum temporalem.Primam partem aſſertionis ſic explicat Melliſl. ſerm.2. in feſt. Pentecoſt. num.6.B. *Et ne de abſentia mea, vel murmures, vel contriſteris mittam tibi Spiritum-Paraclitum, qui tibi donet pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen.* Secundam verò partem ita explanat ſerm.1. adven. Dom. num.6. C. *Ecce Fratres audiſtis, quis ſit qui veniat: conſiderate jam undè veniat, & quò. Venit utique de corde Dei Patris in uterum Virginis Matris; venit à ſummo Cælo in inferiores partes terræ.*

XXVIII. Miſſio viſibilis non fit ſinè inviſibili miſſione. Hujuſmodi autem miſſio, quæ & paſſiva dicitur, convenit tantummodò Filio, & Spiritui-Sancto; nullatenus autem Patri. Quare S. P. Bern. tract. de grad. humil. cap.8.n.22. F. ait *Nam ad hoc & Filius legitur deſcendiſſe, ut vocaret,*

& juvaret aſcenſuros ad primum: & Spiritus-Sanctus miſsus fuiſse, qui perduceret ad ſecundum. Pater verò licèt Filio, & Spiritui-Sancto ſemper cooperetur, numquam tamen aut de cœlo deſcendiſse, aut ad terras legitur miſsus fuiſse.

XXIX. Loquendo de Miſſione inviſibili non mittitur una perſona ſine alia, quòd ità explicat. S. Doct. tract. de grad. humil. cap. 7. num. 21. B. *Utramque verò partem, rationem, ſcilicet, & voluntatem, alteram verbo veritatis inſtructam, alteram ſpiritu veritatis afflatam, illam hyſsopo humilitatis aſperſam, hanc igne charitatis ſuccenſam, tandem jam perfectam animam propter humilitatem ſinè macula propter charitatem ſinè ruga, cùm nec voluntas rationi repugnat, nec ratio veritatem diſſimulat, glorioſam ſibi ſponſam Pater conglutinat.*

De Divinarum Perſonarum circuminſeſſione.

XXX. VErè datur Divinarum perſonarum circuminſeſſio, ideſt ſubſiſtentis in ſubſiſtente realiter diſtincto mutua, & intima præſentialitas ratione ejuſdem numero naturæ, itaut Divina eſſentia ſit potiſſima ratio illius circuminſeſſionis, per quam una Divina perſona eſt in alia ſecundùm ſe totam, quod optimè explicat D. Melliſl. ſer. 71. in cant. n. 8. C. *Sunt in ſe Pater, & Filius non ſolùm ineffabili, ſed etiam incomprehenſibili modo ſui ipſorum capabiles, pariter, & capaces; ſed ſanè ita capabiles, ut non partibiles, ità capaces, ut non participes. Nam ut in hymno Eccleſia canit in Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater. Eſt Pater in Filio, in quo ſibi ſemper benè complacuit, & eſt Filius in Patre, ut nunquam non natus, ita numquam eſt ſeparatus.*

Digitized by Google

DE ANGELIS.

I. DUas ad intelligendum ſe docet Melliſl. in ſenten. num. 12. B. *Condidit Univerſitatis Authoꝛ creaturas, hominem, & Angelum, hominem juſtificant fides, & memoria, Angelum beatificant intellectus, & præſentia*. Quare datur Angelorum exiſtentia, quæ etiam ex fide conſtat, nequit tamen hæc naturaliter demonſtrari à priori, ſed tantùm ex motu cœlorum, nec ex perfectione univerſi, ſed ab experientia Magorum, & Energumenorum.

II. Angeli fuerunt à Deo creati unà cum Mundo corporeo in Cœlo ſidereo, quod Empyreo proximum eſt, & de Cœlo ſidereo intelligendus eſt Mellifluus ſerm. 30. de div. num. 1. B. *Nuſquam eſt ſecuritas fratres neque in Cœlo, neque in Paradiſo, multò minus in Mundo. In Cœlo enim cecidit Angelus ſub præſentia divinitatis; Adam in Paradiſo de loco voluptatis, Judas in Mundo de Schola Salvatoris*.

III. Angeli non ſunt formæ corporum, nec habent corpora ſibi naturaliter unita, nec componuntur ex materia ejuſdem rationis cum noſtra, ſed ſunt puri ſpiritus, & in libertate ſpiritus operantur, ut docet Melliſl. ſerm. 5. in cant. num. 3. E. *Angelus verò curat, ſatagitque in libertate ſpiritus adminiſtrare officium pietatis futurorum bonorum promptum mortalibus alacremque miniſtrum ſe ſe exhibens, utpotè ſuis in æternum futuris concivibus, & cohæredibus ſupernæ jucunditatis*. Hinc cùm materia careant Angeli, non ſunt corruptibiles, ſed immortales, & incorruptibiles ab intrinſeco, & per naturam, quos tamen, licèt Deus præcisè non poſſet deſtruere ratione omnipotentiæ, poteſt ratione libertatis.

Sunt

Digitized by Google

IV. Sunt tres Hierarchiæ,& novem diſtincti Sanctorum Angelorum ordines, quos recenſet Bern. ſerm.19. in cant. num.6 A. *Diligitur ergò ab* „ Angelis „ *Deus ob judiciorum ſuorum ſummam æquitatem*; „ ab Archangelis „ *ob conſiliorum ſummam moderationem; porrò à* „ Virtutibus„ *ob benigniſſimam exhibitionem miraculorum, per quæ incredulos dignantiſſimè trahit ad fidem à* „Poteſtatibus„ *verò ob illam juſtiſſimam potentiæ vim, qua ſolet à piis malignantium propulſare, & arcere crudelitatem. Verùm à* „Principatibus„ *ob æternam, & originalem illam virtutem qua dat eſſe, & eſſendi principium omni creaturæ, ſuperiori, & inferiori, ſpirituali, & corporali, attingens à fine uſque ad finem fortiter à* „Dominationibus„ *quoque ob placidiſſimam voluntatem, qua licet ubique dominetur in fortitudine brachii ſui, virtute tamen potentiori pro ſua ingenita lenitate, & imperturbabili tranquillitate diſponit omnia ſuaviter. Diligitur & à* „ Thronis „ *ob benevolentiam Magiſtræ ſapientiæ ſinè invidia ſeſe communicantis, & unctionem, quæ gratis docet de omnibus. Ceterùm à* „ Cherubim „ *propterea diligitur quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ſciens quid cuique opus ſit ad ſalutem, diſcretè providèque dona ſua dignè poſcentibus prout novit expedire diſtribuit. à* „ Seraphim„ *quoque, quia charitas eſt, & nihil odit eorum, quæ fecit, & vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Angeli autem Superiores illuminant inferiores; juxtà Melliſl. ſer.5. de verb. Iſa. num.6.A. *Seraphim ſtabant ſuper illud; nomen eſt ordinis Angelorum ſummi, atque ſupremi, ut meritò ſtare ſuper cæteros deſcribantur, & ipſi tamen quamlibet ceteris præſtent; adſtant nihilominus Domino præſidenti devotum utique miniſterium, & plenum reverentiæ obſequium exhibentes.* Hæc illuminatio eſt quædam ſpecies locutionis per modum cujuſdam artificioſi magiſterii. Locutio autẽ Angelica ſecundùm ſe conſiſtit in ordinatione conceptuum internorum

norum per actus voluntatis ſe habentes ad modum conditionis.

V Diſtributio Hierarchica, quatenus perfecta non reperitur in malis Angelis, benè tamen ordo aliquis imperfectus, unde S. Bernar. ſerm. 17. in cant. num. 6. E. dixerat *Accepit tamen ſatan regnum ſuper omnes filios ſuperbiæ factus princeps tenebrarum harum*.

VI. *Videmus nunc* ait S.D. ſerm. 31. in cant. num. 8. A. *per ſpeculum, & in ænigmate, & nec dum facie ad faciem; at iſtud ſanè donec vivimus inter gentes; nam inter Angelos aliter, quando jam indifferenti omninò fœlicitate cum ipſis, videbimus eum, & nos ſicuti eſt, hoc eſt in forma Dei, & non in umbra*. Videt ergo Deum Angelus viſione faciali, cujus intellectus ab intellectu humano ſpecie differt, nec dividitur in agentem, & paſſibilem; neque Angelus intelligit ex efficacitate propria præcisè, nec per habitum ſcientialem, nec per ſubſtantiam propriam, ſed per ſpecies intentionales, quæ non proveniunt ab objectis ſpiritualibus, nec ab eſſentia, & intellectu Angeli profluunt, nec mediante intellectu abſtrahuntur ab objectis, nec divinitùs provenire poſſunt ab objectis materialibus, ſed omnes ſimul in inſtanti creationis fuerunt à Deo in Angelis productæ per eductionem, non per creationem. Nequit autem Angelus naturaliter cognoſcere immediatè Deum per ſpeciem infuſam divinæ eſſentiæ propriam, & repræſentativam ejuſdem abſtractivè, ſed omnis cognitio naturalis Dei in Angelis eſt mediata ſaltem radicaliter.

VII. Comprehendunt naturaliter Angeli individua rerum materialium per ſpecies naturæ ſpecificæ ipſarum rerum, & per iſtas ſpecies etiam cognoſcunt accidentia ipſis ſimul, vel ſucceſſivè contingentia, & hoc perfectius, quàm homines, ut colligitur ex S.P. ſerm. 9. de div. num. 1. E. *Quemadmodum creatura cœli, ſic & creatura Mundi, jam*

non

non per ſpeculum, & in ænigmate, ſed facie ad faciem Deum videbit, & ſapientiam ejus ad liquidum contemplabitur in ſe ipſa. Interim verò opus habet humana anima velut quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem creatoris aſſurgat, cum è contrà longè beatius, perfectiuſque Angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ. Futura etiam neceſſaria, etſi pendeant à cauſis naturalibus invicem impedibilibus, ſivè conſiderentur quoad ſpeciem, ſivè quo ad individuationem cognoſcunt Angeli in ſuis cauſis cognitione certa, & etiam aliqua futura libera conjecturaliter, non tamen certè, & evidenter omnia futura libera nec in ſuis cauſis, nec immediatè in ſe ipſis propter defectum conditionis actualis exiſtentiæ. Pariter naturaliter non cognoſcit immediatè Angelus ſecreta cordium aliorum Angelorum, & hominum adequatè, & comprehenſivè ſinè ſpeciali manifeſtatione, ſed tantùm aliqua mediatè, hocque provenit ex natura ſpecierum pro illis infuſarum, non repræſentantium ipſa in actu ſecundo niſi poſita conditione manifeſtationis.

VIII. Angeli verè aſſumunt corpora, itaut Deus de facto nullum corpus immediatè aſſumpſerit, ſed tantummodò Angeli in corporibus aſſumptis nomine Dei loquebantur. Teſtatur hoc N.S D. ſerm.54. in cant. num.2. C. *Aut certè ſaliebat in montibus, cum in Angelis olim Patribus apparebat, quod utique proprietati litteræ magis convenire videtur .... Adde, quod aliqui eorum perſonam ejus gerebant, itaut loqueretur quiſquam illorum non tamquam Angelus, ſed tamquam Dominus. Verbigratia ille Angelus, qui cùm Moyſi loquebatur dicebat non ego Domini, ſed ego Dominus, atque id frequentius iterabat. Saliebat ergo in montibus, ideſt in Angelis, in quibus & loquebatur, & ſuam hominibus exhibebat præſentiam. Ad homines enim ſaliebat, ſed in Angelis, non in ſe, non in ſua natura,*

Digitized by Google

tura, ſed in ſubjecta creatura. Qui enim ſalit, de loco ad locum vadit, quod non cadit in Deum. Angeli autem corpora aſſumentes, aliquando aſſumunt corpora ante exiſtentia, aliquando facta de novo, & virtute divina, aut ut plurimùm virtute propria ipſorum Angelorum, non quidem ex nihilo, ſed ex materia elementari præſertim aerea, & etiam poſſunt aſſumere corpus vivum animalis minus perfecti. In corporibus autem aſſumptis nec de potentia abſoluta exercere poſſunt operationes ſenſitivas, benè tamen operationes intellectus, & voluntatis, & aliquas operationes corporeas ſimiles vitalibus.

IX. Gratia habitualis non fuit Angelis connaturalis docente Melliſl. ſerm.5. de Verb. Iſa. num.9. D. *Quomodo enim pura juſtitia, ubi adhuc non poteſt culpa deeſſe? Recta proinde videri poteſt juſtitia hominum, ſi tamen peccato non conſentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis in initio quidem non modò recta, ſed etiam pura fuit, quamdiù ei datum eſt nec ſentire peccatum. Cæterum & hæc ipſa, quoniam firma non fuit, & puritatem facilè perdidit, & ne ipſam quoque retinuit rectitudinem ſuam. Sanè apud Angelos juſtitia recta pura, & firma eſt, ſublimis quidem, ſed adhuc longè inferior, quàm divina. Non enim innata eſt eis, ſed à Deo collata, ut natura ipſa, quod ex ſe eſt non modò juſtitiæ ſed etiam injuſtitiæ capax inveniatur. Numquid non iſta eſt pravitas quædam, quam in Angelis ſuis vera illa juſtitia legitur inveniſſe.*[Pſal.142.] ,, Non enim juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens ,, *ait is qui Dei juſtitiam minimè ignorabat; nec ait omnis homo, ſed* ,, omnis vivens ,,. *Fortè ut ne ipſos Angelicos eum noveris ſpiritus excepiſſe.* Quapropter Angeli non fuerunt ab initio creationis beati ſimpliciter beatitudine naturali, ſed omnes in creationis inſtanti per actum charitatis tamquam præviam diſpoſitionem receperunt gratiam habitua-

lem

lem ejuſdem rationis cum noſtra, cum proportione ad propria naturalia, ſimul cum pluribus donis ſupernaturalibus præſertim virtutibus theologicis, non tamen cum omnibus virtutibus moralibus. Imò omnes Angeli peccare potuerunt directè, & immediatè contra legem naturalem, & etiam venialiter ex ſurreptione, nedum ex levitate materiæ. Et etiam Angeli, quantùm eſt ex ſe, potuerunt potentia quoque morali, & ordinaria peccare in primo creationis inſtanti ut correſpondente nunc noſtri temporis. Tandem implicat creatura intellectualis ex natura ſua ſimpliciter impeccabilis, etiam in ſola materia naturali.

X. Via bonorum Angelorum conſtitit unico inſtanti Angelico, malorum verò duplici inſtanti correſpondente moræ diviſibili noſtri temporis; Hinc S. P. ſerm. 1. in adv. Dom num. 2. A. ita loquitur. *Lucifer enim ille, qui mane oriebatur, pro eo quod Altiſſimi ſimilitudinem uſurpare tentavit, & rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo (quod utique Filii eſt) præcipitatus, illicò corruit quoniam zelavit pro Filio Pater.*

XI. Primum malorum Angelorum peccatum non fuit philautia, ſeu ſpiritualis luxuria, nec invidia, ſed ſuperbia ſtrictè talis: hujus objectum de facto fuit beatitudo tum naturalis tum ſupernaturalis ſimul cum aliqua prærogativa prælationis & primatus, dicente Mellifl. ſerm. 3. de Verb. Iſa. num. 1. C. *Ut quid ergo tu, qui manè oriebaris Lucifer in veritate non ſtetiſti, niſi, quia Seraphim non fuiſti? Seraphim quippe ardens, vel incendens interpretatur. Tu verò habuiſti miſer lucem, ſed ardorem non habuiſti. Bonum erat tibi ſi ignifer magis eſſes, quam Lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipſe, frigidam eligeres regionem. Dixiſti enim* [Iſa. 14.] „ aſcendam ſuper „ altitudinem nubium ſedebo in lateribus Aquilonis. „ *Quid feſtinas manè oriri Lucifer? Quid gloriaris ſuper ſidera,*

dera, quibus aliquanto clarius rutilare videris? Brevis omninò erit gloriatio tua.

XII. Dæmones aliquos per hunc mundum vagari eſt de fide certum, & deducitur etiam ex N.D. ſerm.54. in cant. num.4.B. *A Nubibus verò, & infrà Dæmonum habitatio eſt in aere iſto infimo, & caliginoſo; in quibus non ſalit ſponſus, ſed tranſilit illos, & præterit, nec ullum in ſe retinent Dei tranſeuntis veſtigium.* Dæmones autem ſic vagantes ſemper, & ubique circumferunt pœnam ignis, licèt non ipſum ignem.

DE DIVERSIS HUMANÆ NATURÆ STATIBUS.

I. FUit verè datus ſtatus naturæ integræ, in quo fuit Adam creatus ex S. Bern. ſerm.5. de div. n.6. B. *Et hæc quidem ut ſciant homines, quoniam homines ſunt, actionibus jam, & paſſionibus deputati; erat quando in actione, & meditatione poſitus erat homo, ſinè paſſione habens actionem, habens etiam ſinè labore meditationem. Dico autem quando poſitus eſt in Paradiſum ut operaretur, & cuſtodiret.* Totum tamen humanum genus ante peccatum creari potuit à Deo ſinè gratia gratum faciente, quæ proinde ſecundùm ſe naturæ humanæ non debetur, ſicut nec integritas, ſeu perfecta ſubjectio partis inferioris ad ſuperiorem. Adeòque eſt verè dabilis ſtatus puræ naturæ.

II. Revera homo eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei formatus; ratio autem divinæ Imaginis maximè conſiſtit in eo, quòd anima noſtra tribus facultatibus, intellectu nempè, memoria, & voluntate illuſtrata divinarum

Per-

Perſonarum Trinitatem in unitate eſſentiæ conſiſtentem adumbret dicente Melliſl. ſerm.45. de div.num.1. A. *Beata illa, & ſempiterna Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unus Deus, ſcilicèt, ſumma potentia, ſumma ſapientia, ſumma benignitas creavit quamdam Trinitatem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, animam videlicèt rationalem: quæ in eo profert veſtigium quoddam illius ſummæ Trinitatis, quod ex memoria, ratione, & voluntate conſiſtat.*

III. S. Bernardus ſerm.66. de div. num.1. E. *Primum* ait *peccatum eſt factum in cœlo per ſuperbiam prævaricatoris Angeli .... F. ſecundum peccatum commiſſum eſt per inobedientiam mulieris in Paradiſo.* Adeòque Paradiſus, quem deſcripſit Moyſes *cap.*1. & 2. *Gen.* fuit locus viſibilis, & corporeus, non purè ſpiritualis, & myſticus, ut ſomniavit Origenes, nec fuit totus hic terrarum orbis, quem incolimus, ſed locus aliquis particularis in certa quadam hujus orbis regione conſtitutus, neque ità depreſſus, ut in planitie aliqua jaceat; neque ità ſublimis, ut ſecundam aeris regionem excedat, & probabile eſt in confinibus meſopotamiæ, & Arabiæ Orientalis non multùm à Chaldea, & Syria Damaſcena conditum fuiſſe. An autem Paradiſus terreſtris adhuc ſubſiſtat problema eſt.

IV. Probabilius eſt Adamum extra Paradiſum creatum, quandoquidem S. P. ſerm.2. de div. num. 6. B. de Adamo diſſerens ait. *Dico autem quando poſitus eſt in paradiſum, ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Adeòque fuit Adam extra Paradiſum creatus, & deinde in Paradiſum deductus. Eva tamen in Paradiſo ædificata eſt ex latere dormientis Adam dicente Melliſl. ſerm.2. in ſeptuag. num.1. C. *Cæterum qualis & ille ſopor dicendus eſt fuiſſe, vel credendus, quem Dominus immiſit in Adam, in quo ſinè ſenſu omninò doloris in mulierem ædificandam coſta ſublata eſt de latere dormientis.*

 Tria

V. Tria peccata commiſit Eva in Paradiſo terreſtr', curioſitatis, ſcilicèt, voluptatis, & vanitatis. Quare S.Bern. ſerm.1. in annunc. B.M.V. num.8. D. ait *Funiculus triplex difficilè rumpitur, curioſitatis, voluptatis, & vanitatis. Hæc ſola mundus habet concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. His abſtracta, & illecta miſericordiam omnem, crudelis Mater abjecit.*

VI. Primi parentes non coacti, ſed decepti peccavere, eſt doctrina Melliſl. ſerm.11. de div. num.2. B. *Primos parentes, non urſus, aut leo, ſed potius ſerpens callidior utique. non fortior cæteris animantibus ſupplantavit; nec mulierem, Vir, ſed mulier virum, ſerpens ò Eva decepit te: decepit profectò non impulit, aut coegit. Mulier tibi, ò Adam, de ligno dedit, ſed offerendo utique, non violentiam inferendo.*

DE BEATITUDINE.

I. IN ſolemn. Omn. SS. ſerm.4. num.3. E. hæc habet N.S.D. *Tripliciter enim fratres in æterna illa, & perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipſis &, (quod his omnibus ineffabiliter jucundius ſit atque beatius) ipſam quoque cognoſcentes in ſemetipſa Trinitatem, & gloriam illam ſinè ullo ænigmate mundo cordis.* Noſtra ergo formalis beatitudo non eſt increata Dei Viſio Beato unita, nec eſt illapſus ſpecialis Dei in animam, neque aliquis habitus, ſeu actus primus, neque divinitùs eſſe poteſt operatio aliqua à ſolo Deo producta, nec eſſentialiter conſiſtit in pluribus actibus, ſed in unico actu, non voluntatis, ſed intellectus, ideſt in viſione Dei, ſequitur enim S.D. nu.4. B. *Nam quomodo videndus ſit in creaturis, quomodo in nobis*

ha-

Digitized by Google

habendus, poſſumus vel ex parte conjicere, ex ipſis nimirùm, quas accepimus jam primitiis Spiritus. Cognitio autem illa omninò adhuc nobis incognita eſt, mirabilis facta eſt, confortata eſt, ut non poſſimus ad eam. Quare eſt omninò impoſſibilis ſubſtantia ut quòd ſupernaturalis, vel cui ſit connaturale lumen ſupernaturale ad eliciendam beatam viſionem; conceptus autem entis ſupernaturalis creati conſiſtit in eo, quod res ſit per ſe indebita omni prorſus ſubjecto ex natura rei tàm determinatè, quàm indeterminatè; tàm immediatè, quàm mediatè.

II. De viſione beatifica differens. S. Bern. ſerm. 33. in cant. num. 6. D. exclamat *ò verè meridies plenitudo fervoris, & lucis, ſolis ſtatio, umbrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fætorum depulſio.* Ex quibus verbis deducimus, quòd cùm Viſio beata ſit plenitudo lucis, Beati videant Deum per lumen gloriæ indiſtinctum à ſpecie impreſſa, docente Mellifl. ſerm. 31. in cant. num. 8. B. *juſtus ex fide vivit. Beatus exultat in ſpecie.* Et cùm ſit ſolis ſtatio perpetuitatem arguimus, & certitudinem ab omnium miſeriarum experimento ſecuram. Intellectus autem humanus fertur in Deum ſinè diſcurſu dicente Mellifl. lib. 5. de conſid. cap. 13. num. 27. F. *Nobis autem, quia non poſſumus cum Deo ſimplicitate contendere, dum contendimus apprehendere unum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc ſpeculum, & ænigma, per quod ſolùm interim videri datur. Cùm autem videbimus facie ad faciem, videbimus ſicuti eſt.*

III. Nec omnes Beati vident Deum æqualiter, nec omnes inæqualiter, quare inquit Mellifl. ſerm. 31. in cant. num. 3. F. *Nec locis ſunè accedendum, ſed claritatibus; ipſiſque non corporeis, ſed ſpiritualibus, tamquam à Domini Spiritu. A Domini planè, & non à noſtro, quamvis in noſtro. Qui itaque clarior, ille propinquior.* Nihilominùs viſio-

Digitized by Google

ſiones Dei de facto non differunt ſpecie theologica inter ſe, ſed numericè tum intenſivè, tum extenſivè. Cauſa autem moralis, & radicalis inæqualitatis intenſivæ viſionum eſt ipſa inæqualitas meritorum, cauſa verò proxima, & phyſica eſt ſola inæqualitas luminis gloriæ.

IV. Beati vident de facto omnia quæ ſunt formaliter in Deo, docente N.S.D. ſerm.4. in ſolemn. Omn. Sanct. n.3.F. *In hoc enim erit vita æterna, & perfecta ut cognoſcamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, & videamus Deum ſicuti eſt, ideſt non modò ſicut ineſt nobis, videlicèt, aut cæteris creaturis, ſed ſicut eſt in ſemetipſo.* Vident etiam Beati omnia decreta libera Dei entitativè ſumpta, & etiam quædam quoad terminationem, non verò omnia, & hoc de facto. Loquendo autem de potentia abſoluta poſſunt Beati videre eſſentiam Dei, non viſis attributis, & perſonis, nec cognitis ullo pacto clarè, & confusè creaturis, unum attributum non viſo alio, & unam perſonam divinam non viſis aliis. Poſſunt quoque Beati per eamdem potentiam abſolutam videre divinam eſſentiam cognoſcendo ſimul eodem actu clarè, in particulari omnes prorſus creaturas. Cum hoc verò optimè ſtat Deum à quocumque intellectu creato eſſe incomprehenſibilem. *Quantumcunque* ait Melliſl. lib.5. de conſid. cap.7. num.16. B. *in altum proficiat ultra eſt; infra quod homo cogitare poſſit Altiſſimum quærere, ridiculum eſt, ſtatuere impium. Ultrà, non citrà quærendus eſt.* Et ibid. cap.6. num.14. B. *Incomprehenſibilis eſt Deus, ſed non parùm apprehendiſti, ſi hoc tibi de eo compertum eſt, quod nuſquam ſit, qui non clauditur loco, & nuſquam non ſit, qui non excluditur loco.*

V. Quamvis nulla neceſſitas ſit quòd Beati ex vi viſionis formalitèr videant in Verbo aliquam creaturam poſſibilem in particulari, de facto tamen ex vi viſionis formalitèr cognoſcunt in Deo omnes creaturas poſſibiles in confuſo,

fuſo, tamquam effectus in cauſa, & vident diſtinctè, & in particulari Myſteria fidei, quæ crediderunt in via, præter diem Judicii. Inſuper vident nedum ea, quæ ad eorum ſtatum in patria pertinent, ſed etiam principaliora, quæ ſpectant ad ſtatum, quem habuerunt in via. Cognoſcunt pariter aliquas creaturas in Verbo ex vi viſionis cauſaliter, & alia plura per ſpecialem revelationem, quod totum colligitur ex N.S.D. lib.5. de conſid. cap.1. num.1.D. *Sanè hac ſcala cives non egent, ſed exules, quod vidit ipſe hujus ſententiæ auctor, qui cùm diceret inviſibilia per viſibilia conſpici ſignanter poſuit à creatura Mundi. Et verè quid opus ſcalis tenenti jam ſolium? Creatura cœli illa eſt præſtò habens per quod potius iſta intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum, nec opus habet ex his quæ facta ſunt Factoris notitiam mendicare.*

VI. Deus à qualibet potentia corporea eſt inviſibilis ex S. P. N. ſerm.31. in cant. num.2. C. *Talis viſio non eſt vitæ præſentis, ſed in noviſſimis reſervatur his dumtaxat, qui dicere poſſunt* [1. Joan.3] „ ſcimus quia cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. „ *Et nunc quidem apparet quibus vult, ſed ſicuti vult, non ſicuti eſt. Non Sanctus non ſapiens, non propheta videre illum ſicuti eſt, poteſt, aut potuit in corpore hoc mortali; poterit autem in immortali, qui dignus habebitur.*

VII. Deus etiam ſolùm ut unus de potentia abſoluta eſſe poteſt beatitudo noſtra objectiva perfecta. Quare ſi quis videret eſſentiam, non perſonas, imò nec attributa, eſſet perfectè beatus, non ita ſi videret attributa, aut perſonalitates, non eſſentiam. Viſio autem beata Dei eſſentialitèr ſumpta ſecundùm quemcumque ſui gradum perfectè ſatiat appetitum in linea perfectæ adeptionis ſummi boni, & eſt ab intrinſeco, & ex natura ſua incorruptibilis, etiam ut viſio eſt; adeòque Beati habent ſecuritatem, & certitu-

dinem

Digitized by Google

dinem non quidem metaphyſicam ; ſed phyſicam de perpetuitate beatitudinis etiam in actu ſecundo. Illam autem perfectam ſatietatem mellito calamo deſcripſit Bernardus ſerm.4. in ſolemn. omn. SS. num.5. D. *Implebit ergo Deus rationale noſtrum luce ſapientiæ, itaut penitus nobis nihil deſit in ulla ſcientia; Implebit concupiſcibile noſtrum fonte juſtitiæ, ut omninò deſideremus eam, & ea penitùs repleamur*; & ſerm.11. in cant. num.4. A. *Porrò fructum talem expectamus noſtri amoris, qualem ipſe quem amamus promiſit*. [Luc.6.] ,, Menſuram *inquiens* plenam, & con-
,, fertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in
,, ſinum veſtrum. *Menſura iſta, ut audio, erit ſine menſura. Sed velim ſcire cujus rei futura ſit illa menſura, vel potius illa immenſitas, quæ repromittitur* [Iſai.64.] ,, Oculus non
,, vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. ,,
Dic nobis tu, qui præparas? credimus, confidimus revera ſicut promittis [Pſal.64.] ,, replebimur in bonis domus tuæ,, *Sed quibus quæſo bonis, vel qualibus? Fortè frumento, vino, & oleo, auro, atque, argento, lapidibuſve prætioſis? ſed hæc novimus, & vidimus; & videmus, & faſtidimus. Id quærimus, quod oculus, non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*.

VIII. Beati ab intrinſeco præcisè ex vi viſionis beatificæ formaliter ſunt impeccabiles, etiam venialiter, ita S.P. ſerm.17. in pſal.90. num.6. E. *Ex tunc videre merebitur, quod optavit, cùm ſibi Rex gloriæ glorioſam exhibebit Eccleſiam, non habentem maculam ob ſplendorem Diei, ſed neque rugam ob omnimodam plenitudinem ſui*.

IX. Beatus neceſſariò quoad exercitium diligit Deum teſte Melliſl. tract. de dilig. Deo cap.15. num.39. B. *Sanè in hoc gradu dici ſtatur: & neſcio ſi à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut ſe ſcilicet diligat homo tantùm propter Deum. Aſſerant hoc, ſi qui ex-*

perti

perti ſunt. Mihi fateor impoſſibile videtur. Erit autem proculdubio, cùm introductus fuerit ſervus bonus, & fidelis in gaudium Domini ſui, & inebriatus ab ubertate domus Dei. Quaſi enim miro quodam modo oblitus ſui, & à ſe penitùs velut deficiens totus pergit in Deum; & deinceps adhærens ei unus cum eo ſpiritus erit. ...

X. Amor beatificus, & etiam gaudium beatificum ſunt amicitiæ ſimul & aliquo modo concupiſcentiæ. S. Bern. tract. de dilig. Deo cap.7. num.17. D. *Non enim ſinè præmio diligitur Deus, etſi abſque præmii intuitu diligendus ſit. Vacua namque vera charitas eſſe non poteſt; nec tamen mercenaria eſt, quippè non quærit quæ ſua ſunt. Affectus eſt, non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit. Spontè afficit, & ſpontaneum facit. Verus amor ſe ipſo contentus eſt, habet præmium, ſed id quod amatur.*

XI. Præter aureolam propriam Martyrum, Virginum, & Doctorum, & fructum evangelicum diverſum ab aureola dantur in beatis tùm animæ dotes, Viſio ſcilicèt, Tenſio, & Delectatio, tùm corporis impaſſibilitas, nempè ſubtilitas, Agilitas, & Claritas. Quæ optimè enucleantur à Melliſl. Doct. ſerm.4. in ſolem. omnium SS. num.6. B. *Sic ergo replebit animas noſtras Deus cùm perfecta eis ſcientia fuerit, perfecta juſtitia, perfecta lætitia. Sic replebitur majeſtate ejus omnis terra, cùm fuerit corpus incorruptibile, impaſſibile, agile, configuratum denique corpori claritatis ſuæ.*

Digitized by Google

DE ACTIBUS HUMANIS.

I. S. Bernardus ſerm.71. in cant. num.10. C. ait *Deum & hominem, quia propriis extant, ac diſtant, & voluntatibus, & ſubſtantiis longè alitèr in ſe alterutrum manere ſentimus, ideſt non ſubſtantiis confuſos, ſed voluntatibus conſentaneos*. Agunt ergo voluntariè tùm Deus, & quidem voluntarietate perfectiſſima, tùm Angelus, & homo, ſed minus perfectè quàm Deus, & Angelus regulariter magis perfectè quàm homo; Bruta verò ſolùm imperfectè, & materialiter.

II. Actus neceſſarius ex perfectione cognitionis, & objecti eſt in ratione voluntarii perfectior actu libero, docente Mellifl. lib. de præcep. & diſpenſ. cap.1. num.2. C. *Ideoque quod ex voluntate ſuſcepit, ex neceſſitate tenebit; quia omninò neceſſe eſt eum reddere vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua; & ex ore ſuo aut condemnari jam, aut juſtificari. Cæterum felix, ut quidam Sanctorum ait, neceſſitas quæ cogit in melius*.

III. Voluntas non poteſt pati violentiam in ſuis actibus elicitis, ait enim Doct. Mellifl. tract. de grat. & lib. arbit. cap.2. num.5. E. *Cùm igitur voluntas nil liberum habeat niſi ſe, meritò non judicatur niſi ex ſe, ſiquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec ſenſus obtuſus, nec vita languens reum per ſe ſtatuunt hominem, ſicut nec contraria innocentem, & hoc non ob aliud, niſi quia hæc neceſſariè, ac præter voluntatem poſſe provenire probantur*. Poteſt tamen voluntas pati violentiam in carentia actuum elicitorum, & in actibus imperatis aliarum potentiarum, & etiam in receptione, & carentia alicujus qualitatis, vel habitus.

Digitized by Google

IV. Quæ ex metu fiunt ſunt mixta ex voluntario, & involuntario; ita tamen ut ſint voluntaria ſimpliciter, & involuntaria ſecundùm quid. Docet hoc Melliſl. tract. de grat. & lib. arbit. cap.12. num.40. A. *Cæterum quòd ſit, & à nobis, jam non ſinè culpa eſt voluntatis. Velle planè convincimus, quòd non fieret, ſi nollemus. Eſt ergo compulſio quædam etiam activa, ſed non habet excuſationem, cùm ſit, & voluntaria. Cogebatur Chriſtianus negare Chriſtum, & quidem dolens, non tamen niſi volens. Volebat nimis gladium vitare ferientis; atque illa talis voluntas intus præſidens, os aperiebat, non gladius, qui foris apparebat. Porrò talem eſſe illam voluntatem convincebat gladius, non cogebat.*

V. S.P. ſerm.81. in cant. num.7. B. ait *Peccato factum eſt, ut corpus, quod corrumpitur aggravet animam, ſed amore, non mole. Nam quòd ſurgere anima per ſe jam non poteſt; quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt, quæ corrupti corporis vitiato, ac vitioſo amore langueſcens, & jacens amorem pariter juſtitiæ non admittit. Ita neſcio, quo pravo, & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas cùm voluntaria ſit excuſare valeat voluntatem, nec voluntas cùm ſit illecta excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria*. Adeòque concupiſcentia non cauſat involuntarium ſecundùm quid, licèt ei, quod ex concupiſcentia fit poſſit aliquid involuntarii admiſceri.

VI. Neceſſitas ut talis cauſat involuntarium ſimpliciter, teſte Melliſl. tract. de grat. & lib. arbit. cap.2. nu.5. C. *Cæterum quod ſui liberum non eſſe cognoſcitur, quo pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? Excuſat nempè utrumque neceſſitas. Porrò ubi neceſſitas eſt, libertas non eſt: ubi libertas non eſt, nec meritum, ac per hoc, nec judicium. Excepto ſanè per omnia originali peccato, quod aliam conſtat*

 ha-

habere rationem. Ita etiam ignorantia antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter; ignorantia verò purè concomitans neque cauſat voluntarium, neque involuntarium, ſed non voluntarium. Ignorantia autem conſequens cauſat voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundùm quid.

VII. S. Bern. lib.3. de conſiderat. cap.4. num.15. A. inquit *Spiritualis homo ille, qui omne dijudicat, ut ipſe à nemine judicetur, omne opus ſuum trina quadam conſideratione præveniet, primum quidem an liceat, deinde, an deceat, poſtremò an, & expediat. Nam etſi conſtet in chriſtiana utique Philoſophia non decere niſi quod licet, non expedire, niſi quod decet, & licet, non continuò tamen omne quod licet decere, aut expedire conſequens erit*. Hinc, ſub objecto formali voluntatis non ſolùm continentur ipſa media, & finis, ſed etiam voluntas verſari poteſt circa bonum à ratione medii, vel finis præſcindens actu quodam neutro, & veluti medio, inter intentionem, & electionem. Imò ex mediis æqualibus etiam poſt conſultationem poteſt eligi quodcumque; medium tamen minùs bonum omnibus penſatis, moraliter eligi nequit.

VIII. Imperium magis propriè tribuitur voluntati, quàm intellectui teſte Melliſl. tract. de grat. & lib. arbitr. cap.2. num.3. D. *Porrò voluntas eſt motus rationalis, & ſenſui præſidens, & appetitui, habet ſanè quocumque ſe voluerit ſemper rationem comitem, & quodammodo pediſſequam: non quòd ſemper ex ratione, ſed quòd numquam abſque ratione moveatur; itaut multa faciat per ipſam contra ipſam; hoc eſt quaſi per ejus miniſterium contra ejus conſilium, ſivè, judicium*. Illud autem imperium non eſt actus diſtinctus ab intentione; & electione. Imperium tamen voluntatis efficax, & directum alterius actus voluntatis eſt diſtinctum ab imperato de præſenti, & determinato. Inſuper

ſuper hujuſmodi voluntatis imperium ad omnes hominis potentias ſe extendit, vel per ſe, & proximè, vel per accidens, & remotè, quæ per naturalem ſympathiam voluntate efficaciter imperante applicantut ad operandum. Imò libertate indifferentiæ, quæ datur in homine ſola voluntas eſt formaliter libera, aliæ verò potentiæ nonniſi participativè, & dependenter ab ipſo voluntatis imperio.

IX, Potentia libera debet eſſe activa, & libera eodem inſtanti, quo operatur; quare dicit Melliſl. tract. de grat. & lib. arb. cap. 2. num. 4. E. *Eſt verò ratio data voluntati ut inſtruat illam, non deſtruat. Deſtrueret autem ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quo minùs liberè pro arbitrio ſe ſe volueret, ſivè in malum conſentiens appetitui, aut nequam, ſpiritui, ut ſit animalis non percipiens, vel certè & perſequens ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; ſivè ad bonum gratiam ſequens, & fiat ſpiritualis, quæ omnia dijudicans ipſa à nemine judicetur*. Non tamen per hoc determinatur voluntas ab ultimo judicio practico intellectus. Deinde potentia, quæ ex natura rei non eſt libera, non poteſt obedientialiter elevari ad operandum liberè.

X. *Univerſa quæ ſunt hominis* dicit Melliſl. tract. de grat. & lib. arbit. cap. 2. num. 5. D. *Præter ſolam voluntatem ab utroque libera ſunt, quia ſui libera non ſunt. Vita, ſenſus, appetitus, memoria, ingenium; & ſi quæ talia ſunt, eo ipſo ſubjacent neceſſitati, quo non plenè ſubdita ſunt voluntati. Ipſum verò, quia impoſſibile eſt de ſe ipſa ſibi non obedire; (nemo quippe aut non vult, quod vult, aut vult, quod non vult,) impoſſibile eſt ſua privari libertate.* Adeòque non ſolùm de facto negamus dari puram ommiſſionem liberam, ſed ulteriùs eam impoſſibilem eſſe cognoſcimus.

XI. Dantur præcepta moralia teſte S. Bern. ſerm. 67. de div. num. 1. F. *Duplex in lege veteri præceptorum genus*

in-

invenio, ſunt enim moralia quædam, ut eſt non concupiſces, non adulterabis, honora Patrem tuum, & his ſimilia. Quæ cùm ſoli naturæ intellectuali imponantur, ſola ipſa eſt agens morale. Moralitas autem formalis primò convenit actibus voluntatis, cùm actibus aliarum potentiarum conveniat per denominationem ab actibus voluntatis. Moralitas autem actus humani non eſt ſola libertas, nec ſola regulabilitas, & directio actus à recta ratione præſcindendo à libertate, ſed eſt in recto directio, ſeu dirigibilitas à recta ratione, in obliquo verò, & fundamentaliter importat libertatem, ſinè qua libertate nequit haberi moralitas actus, docente Melliſl. tract. de grat. & lib. arbit. cap. 2. num. 4. A. *Quòd ſi ex neceſſitate, & abſque conſenſu propriæ voluntatis juſta, injuſtaque fieri poſſent, rationalis creatura aut miſera profectò nulla ratione deberet, aut beata penitùs non poſſet, cui nimirùm in utravis parte id deeſſet, quod ſolùm, in ea miſeriæ ſivè beatitudinis capax eſt, ideſt voluntas.*

XII. Datur voluntas efficax conditionata de objecto impoſſibili, non tamen abſoluta. S. enim Bern. epiſt. 18. num. 1. A. ita ſcribit. *Nihil enim proculdubio eſt quidquid putatur, & non eſt; Porrò cùm amatur quod non eſt, ſed eſſe putatur, non amor, vel amans nihil eſt, ſed quod amatur. Mirandum, ſed magis dolendum, quàm mirandum, quòd id, quod nihil eſt amari poteſt.* Malum autem ſub præciſa ratione mali nequit amari à voluntate. Quapropter circa purum bonum, & purum malum, circa felicitatem & miſeriam ſub conceptu felicitatis, & miſeriæ non datur libertas contrarietatis; poſſumus tamen per accidens nolle id, in quo beatitudo conſiſtit, cum hoc tamen ſtat, quòd circa purum bonum, & purum malum abſtractivè cognitum habeamus regulariter libertatem contradictionis non quidem directè, ſed indirectè.

Bo-

Digitized by Google

XIII. Bonitas, & malitia formalis actus humani non eſt relatio rationis, nec accidens aliquod abſolutum ab actu diſtinctum, nec relatio cathegorica, nec pura denominatio extrinſeca, nec relatio traſcendentalis ipſius actus ad objectum conſonum, vel diſſonum regulis rationis; ſed in recto eſt ipſemet actus, prout in obliquo connotat objectum conſonum, vel diſſonum regulis rationis, adeòque actiones non ſunt honeſtæ, vel inhoneſtæ ſe ipſis, & per ſua prædicata abſoluta ſinè ullo reſpectu ad aliquam regulam diſtinctam, dicit enim Mellifl. lib. de præcep. & diſpenſ. c. 7. num. 13. A. *Nil deinde inceſtius, obſcæniuſque, quàm illas filias Loth paternum uſurpaſſe concubitum; & tamen quis non videat, quantùm evacuaverit, aut attenuaverit turpis, nefandique reatum flagitii pietas intentionis, & intentio pietatis.*

XIV. Bonum opus ex mala conſcientia vitiari eſt doctrina Mellifl. ſerm. 71. in cant. nu. 2. B. *Quòd ſi in conſcientia nævus fuerit, nec quod ex ea prodierit carebit nævo; nam ſi radix in vitio, & ramus; ac per hoc quidquid illud ſit, quod radix vitiata non abſque traduce vitii ex ſe producat, verbi gratia, ſermo, actio, oratio, etiamſi ſama applaudere videatur, non eſt quòd debeat lilium dici, quia etſi odor connivere videtur, ſed non color. Quo pacto enim lilium cum impuritatis nævo? nec ſanè fama valebit vindicari virtuti, quòd eſſe vitium convicerit conſcientia.* Quapropter recta ratio, ſeu dictamen rationis eſt regula proxima actuum moralium, non tamen per hoc unica, primaria, & principalis.

XV. Non poteſt dari actus moralis indifferens in individuo, itaut omnibus conſideratis neque ſit bonus, neque malus, S. enim Bernardus ita loquitur ſerm. 71. de div. n. 1. C. *Integra, & perfecta, moralitas in duobus præcipuè conſiſtit in evitandis vitiis, & appetendis virtutibus, quoniam*

non

non ſufficit à malo abſtinere, ſi non & bonum faciamus. Hinc regula objectiva primaria, & univerſalis totius bonitatis, & malitiæ moralis humanorum actuum eſt lex æterna, ac voluntas Dei, non autem natura rationalis quatenus rationalis eſt.

XVI. S.Bernardus ſerm.2. in aſſumpt. B.M.V. nu.5. E. *Relinquitur ſiquidem mulieri domus ſua deſerta, quam Salvatoris hoſpitio dignam exhibere neglexit. Quomodo inquis? Poteritne domus mundata confeſſione priorum delictorum, & obſervatione regularium inſtitutionum ornata, indigna judicari habitaculo gratiæ, Salvatoris ingreſſu? poterit ſine dubio ſi ſuperficie tenùs mundata, & juncis (ut dictum eſt) ſtrata virentibus interiùs plena ſit luto.* Unde actus exterior actu interiori efficaci voluntatis non addit bonitatem, & malitiam ſimpliciter in ordine ad præmium, vel pœnam eſſentialem, ſed ſolùm ſecundùm quid, & in ordine ad præmium, vel pœnam accidentalem.

XVII. Homo tenetur conformare ſuam voluntatem voluntati Divinæ in volito formali, ſeu in fine, etenim *talis conformitas* inquit Melliſl. ſerm.83. in cant. num.3. F. *maritat animam Verbo, cùm cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominùs ipſi ſe exhibet per voluntatem diligens ſicut dilecta eſt, ergo ſi perfectè diligit, nupſit.* In volito autem materiali, ſeu in ipſa re volita tenetur tunc ſolùm, cùm ei Divina voluntas innoteſcit per præceptum. Regulariter tamen loquendo, eſt bonum & laudabile, quòd homo teneatur conformari voluntati Divinæ in volito materiali, quamvis aliquando id non liceat, ſed ſit malum, & peccatum.

DE

Digitized by Google

DE PECCATO ORIGINALI.

I. DE Originali peccato diſſerens S. P. Bernardus ſerm. de paſſ. Dom. num.6. B. ait *Originale quidem maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus in quo peccavimus omnes, pro quo morimur univerſi. Maximum planè, quòd ſic totum non modò genus humanum, ſed & quemlibet ipſius generis occupat, ut non ſit qui evadat, non ſit uſque ad unum, à primo homine ad noviſſimum uſque protenditur: & in ſingulis quoque à planta pedis uſque ad verticem capitis diffunditur hoc venenum.* Quare datur peccatum Originale, & contrahitur ab omnibus hominibus (ſola Beatiſſima Deipara excepta ex ſpeciali privilegio, de qua ità loquitur N. S. D. ſerm. in Dom. inf. Oct. Aſſumpt. num.8. A. *Quid ergo ſidereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex regibus orta, quòd ex ſemine Abrahæ, quòd generoſa ex ſtirpe David. Si id parum videtur, adde quòd generationi illi ob ſingulare privilegium ſanctitatis divinitùs noſcitur eſſe conceſſa; quòd longè ante eiſdem Patribus coelitùs repromiſſa; quòd myſticis præfigurata miraculis; quòd oraculis prænunciata propheticis. Hanc enim Sacerdotalis virga dum ſine radice floruit, hanc Gedeonis vellus dum in medio ſiccæ areæ maduit, hanc in Ezechielis viſione Orientalis porta, quæ nulli umquam patuit præſignabat.*) Contrahitur, inquam, peccatum Originale ab omnibus per naturalem generationem deſcendentibus, eſtque omnibus voluntarium non quidem phyſicè, per ordinem ad propriam ſingulorum voluntatem, nec formaliter per modum exer-

citii, ſed ſolùm terminativè, & moraliter, ideſt reſpectivè ad voluntatem Adæ ad inſtar capitis omnium poſterorum voluntates continentis. Quapropter ineſt omnibus peccatum Originale, & imputatur ſingulis ut proprium, non tamen proprietate perſonæ, ſed ſolùm naturæ, prout ab inſtanti conceptionis omnes fiunt membra humanæ naturæ ab Adami propagatæ; adeòque hoc peccatum Originale non eſt eſſentialiter ipſa hominis anima, ſubſtantialiter ex Dei Imagine, in imaginem Diaboli transformata; nec eſt aliquod ſubſtantiale corporeum, ut cor, hepar, vel ipſum hominis compoſitum, nec eſt concupiſcentia, & fomes nos ad malum inclinantes, nec eſt qualitas morbida cauſata ex ſibilo ſerpentis, nec eſt præcisè peccatum actuale Adami ut extrinſecè parvulos peccatores denominans, nec eſt converſio habitualis ad creaturas, ſeu habitus inclinans hominem ad bonum commutabile ut in ultimum finem cauſatus in nobis ex peccato Adæ, nec eſt privatio juſtitiæ Originalis nobis voluntaria ex vi peccati Adami; ſed peccatum Originale eſt eſſentialiter idem peccatum, quod moraliter Adæ poſteri cum ipſo commiſerunt perſeverans in debito paſſivo ad ſubeundam rationabilem Dei indignationem, & irám.

II. Non traducitur peccatum Originale in poſteros per qualitatem morbidam humano ſemini inexiſtentem, aut per infectionem realem ei ſuperadditam, ſed quia homo ex Adamo per ſeminalem propagationem via communi generatur; ita quòd anima eo ipſo inſtāti conceptionis, quo in corpus organizatum infunditur, & hominem Adæ filium naturalem conſtituit; etiam cenſeatur in ipſo Protoparente tamquam capite totius generis humani divinum præceptum violaſſe, adeòque in omnes homines pœnalitates peccatis debitas derivaſſe. Unde Melliſl. ſerm. de paſſ. Dom. num. 4. D. inquit. *Duo autem nobis in hæreditate reliquerat ille*

ve-

vetuſtus Adam, qui fugit à facie Dei, laborem videlicet, & dolorem; laborem in actione, dolorem in paſſione. Non hoc ipſe audierat in Paradiſo, quem acceperat, ut operaretur, & cuſtodiret illum, operaretur delectabiliter, cuſtodiret fideliter, & ſibi, & poſteris ſuis.

III. *Utinam diſcam non ſuperbire* ait Melliſl. ſerm.69. in cant.num.2. A. *Sed unctione, potiùs, quàm ultione magiſtra* [Pſal.6.],, Domine ne in furore tuo arguas me,, *ſicut Angelum extollentem ſe in Cœlo*; ,, neque in ira tua corri- ,, pias me. ,, *ſicut hominem in Paradiſo. Ambo iniquitatem meditati ſunt altitudinem affectantes, ille potentiæ, iſte ſcientiæ; Denique credidit inſipiens mulier pollicenti, ſed ſeducenti.*[Gen.3.],, Eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum.,, *Jam ſe ſe ante ſeduxerat, cui perſuaſerat ſimilem fore Altiſſimo. Nam qui ſe putat aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Adeòque primum peccatum læthale Adæ fuit ſuperbia, ut expreſsè docet S.Bern.ſerm.17. in cant.num.6. B. *Ergo in Cœlo concepit dolorem, & in Paradiſo peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis, & ærumnarum, omnium prima parens ſuperbia.* Hoc autem peccatum, quà primum, non quà ſuperbiæ, fuit cauſa traductionis peccati Originalis.

IV. Non ſolùm pueri nati ex infidelibus, contrahunt peccatum originale, ſed etiam nati ex fidelibus. Quare S. Bern.ſerm.69. in Cant.num.3. D. *Væ etiam quamvis mitius quibuſdam filiis iræ, qui nati in ira non expectaverunt renaſci in gratia. Nempè mortui in quo, & nati, iræ filii permanebunt. Ira dixerim non furoris: quia, ut piiſſimè creditur, & humaniſſimè gemitur, mitiſſimæ ſunt pœnæ, quo addicti ſunt aliunde trahentium.* Ex quibus poſtremis verbis colligimus, quòd infantes decedentes ſine baptiſmo, & cum ſolo originali peccato puniuntur de facto pęna damni cùm ſint *Filii iræ*: non tamen pœna ignis, & combuſtionis æter-

Digitized by Google

næ cùm non ſint *Filii furoris*. Pœna autem damni nullam pariet triſtitiam, aut dolorem infantibus decedentibus in Originali. Non tamen per hoc infantes erunt beati beatitudine naturali, ſaltem vel poſt diem judicii.

V. Omnes & ſoli ab Adamo via communi deſcendentes peccatum originale contrahunt. S.Bern.ſerm.28.de div. num.2. B. *Habet & cohærentiam ipſa etiam minor ætas, dum & ſimilitudine mortis ejus merſione illa triplici complantatur, & fidem in involucro quodam recipit, quòd nec dum capax ſit evolutæ. Benignus nimirùm eſt ſpiritus ſapientiæ: & quem traducta culpa ligaverat indulta juſtitia ſolvit.* Quare ſi Adam non peccaſſet, peccante Eva aut Cain filii ejus non contraxiſſent peccatum originale, benè tamen, ſi Adam peccaſſet, non peccante Eva. Similiter ſi Adam ante peccatum genuiſſet, vel habuiſſet cum Evâ congreſſum, & poſteà ante fœtus animationem peccaſſet, proles non contraxiſſet peccatum originale; ſicuti etiam ſi aliquis formaretur ex humana carne, quemadmodum Eva ex coſta Adæ non contraheret peccatum Originale.

VI. Peccatum Originale extinguitur in baptiſmate etiam parvulis collato, quibus ſufficit fides aliena, perſonalis autem fides in ipſis non requiritur. Ita S. P. tract. de baptiſ.cap.2. num.9. A. *Sanè infantes, quia hanc, prohibente ætate, non poſſunt habere fidem, hoc eſt cordis ad Deum converſionem conſequenter nec ſalutem, ſi abſque Baptiſmi perceptione moriuntur. Non quòd vel ipſi quando baptizantur fide omninò careant, ſinè qua impoſſibile eſt vel ipſos placere Deo; ſed ſalvantur & ipſi per fidem non tamen ſuam, ſed alienam.* Peccatum autem originale ſemel extinctum, per baptiſma non reviviſcit peccato actuali.

VII. Peccatum originale licèt non duret in baptizatis quoad culpam, nihilominus durat quoad ejus pœnalitatem, dicente Melliſl.ſerm.34.de div.num.2. E. *Abſit omnino*

ut in Cœlo credatur locus eſſe triſtitiæ, ſicut nec culpa, nemo ibi delinquere, nemo lugere poteſt, ſicut nec in terra quidem pœna ulla fuiſſet, niſi iniquitas præceſſiſſet.

VIII. Peccatum Originale fuit cauſa moralis indirecta, & per accidens mortis, & cæterarum miſeriarum ſtatus naturæ lapſæ, quas in ſtatu innocentiæ minimè pateremur. *Porrò peccatum ſeparat* ait S.P.N. in exhort. ad Mil. Temp. cap.11. num.19. A. *Inter nos, & Deum, ſeparat proinde etiam mors inter corpus noſtrum, & nos; Non potuit dividi à Deo anima, niſi peccando, nec corpus ab ipſa niſi moriendo. Quid itaque auſterius pertulit in ultione, id ſolùm paſſa à ſubdito, quod præſumpſerat in Auctorem? Nihil profectò congruentius, quàm ut mors operata ſit mortem, ſpiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria neceſſariam.*

DE PECCATO PERSONALI.

I. PEccatum actuale perſonale non facit ſenſus, ſed conſenſus, docente Melliſl. ſerm.49. in cant. n.8. E. *Et quomodo, ais, ego proficere poſſum, qui fratri proficienti invideo, ſi doles, quod invides, ſentis, ſed non conſentis, Paſſio eſt, quandoque ſananda, non actio condemnanda. Tantùm non illic reſideas, iniquitatem meditans in cubili tuo, qualiter videlicet foveas morbum, ſatisfacias peſti, perſequaris inſontem, benè ab illo geſta calumniando, deprimendo, pervertendo, atque impediendo gerenda.* Hinc malitia moralis formalis peccati non conſiſtit formaliter in poſitivo, ſed in privativo, ſcilicet, in privatione debitæ rectitudinis, & conformitatis cum lege de-

debitæ ipſi actui. Imò peccatum læthale habituale, non poteſt conſiſtere adæquatè in ſola privatione gratiæ habitualis vel in ea privatione cum reſpectu ad actum peccati præcedentem, à quo cauſatur, nec in ordinatione paſſiva ad pœnam peccato debitam, nec in habitu inclinante voluntatem ad bonum creatum.

II. Peccatum mortale habituale conſiſtit eſſentialiter in peccato actuali præterito, ut moraliter perſeverante in debito paſſivo ſubeundi rationabilem Dei indignationem, & iram; Quare inquit S.Bern.tract.de grad.humil.cap.10.n.33. C. *Talem juſtus Deus juſtiſſimè in ſe retorqueat pœnam, qui nec valet, nec debet pati ſuam impunè bonitatem offendi: ſic utique temperans in vindicta ſententiam, ut ſi velis reſipiſcere, non neget veniam, ſecundùm tamen duritiam tuam, & cor impœnitens, non poſſis velle, & ideò nec pœna carere.*

III. S. P. Bernardus ſerm.67. in cant. num.6. B. inquit *Quem ſpectat juſtus, peccator expectat; & expectatio odoratio eſt* [Ad Rom.8.] „ Nam expectatio *ait* creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. *Porrò ſpectare, guſtare eſt, & videre quoniam ſuavis eſt Dominus, an potiùs juſtus, qui expectat, & qui jam tenet Beatus? Denique expectatio juſti lætitia; Nam peccator nihil expectat; & inde peccator quòd bonis præſentibus non modò detentus, ſed & contentus nihil in futurum expectat.* Quapropter peccans læthaliter non habet pro ultimo fine Deum ſed aliquo modo creaturam, non ſolùm negativè, ſed etiam poſitivè. non quidem intentione formali, abſoluta, & explicita, ſed intentione ſolùm interpretativa, præſumptiva, & imputativa. Itaut creatura, quam peccans læthaliter habet pro fine ultimo cujus gratia ſit objectum actus peccaminoſi, & ipſe peccator regulariter loquendo ſit dumtaxat finis ultimus cui. Hinc qui plura peccata diverſa, ac diſparata ſimul committit, ſibi ſimul conſtituit plures fines ultimos totales, & poſitivè tales

les ſolùm præſumptivè, aut interpretativè intentos.

IV. Peccatum mortale meretur pœnam æternam ex ordinatione divina. Unde S. P. Bernardus de Deo diſſerens lib.5.de conſid.cap.12.num.25. C. ait. *Quid eſt Deus? non minus pœna perverſorum, quàm humilium gloria. Eſt enim rationabilis quædam æquitatis directio inconvertibilis atque indeclinabilis; quippè attingens ubique, cui illiſa omnis pravitas conturbetur neceſſe eſt..... In æternum non obtinebit quod vult; & quod non vult in æternum nihilominùs ſuſtinebit. Dignè omninò, ut qui ad nihil afficitur umquam quod deceat, ad nil umquam quod libeat evadat. Quis hoc facit? Rectus Dominus Deus noſter, qui & cum perverſo pervertitur.* Verumtamen etiamſi mereatur peccatum pœnam æternam ex ordinatione divina, nihilominus nec de potentia abſoluta Deus poteſt remittere peccatum mortale quò ad culpam, niſi etiam remittat pœnam æternam inferni. In preſenti autem providentia Deus ſæpè remittit peccatum mortale, quoad culpam, non quoad pœnam temporalem, ipſumque remiſſum quoad culpam frequenter punit pœna temporali, tum in hac vita, tum poſt mortem in Purgatorio. Quare S. Abbas Clarævall.ſerm. habito in obitu Humberti Monachi ſuos Monachos ità hortatur num.8. A. *De reliquo fratres dico vobis, ſi ſequeremini veſtigia ejus, non tam facilè in vanis cogitationibus, & otioſis ſermonibus in jocis, & ſcurrilitatibus laberemini: quia in his multùm perditis, & de vita veſtra, & de tempore veſtro. Volat irrevocabile tempus; & dum creditis vos cavere pœnam iſtam minimam incurritis ampliorem. Illud enim ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta reddentur uſque ad minimum quadrantem.*

V. Peccata mortalia non omnia ſunt ejuſdem gravitatis & malitiæ, ſed aliqua majorem gravitatem & malitiam

tiam, alia verò minorem pravitatem important, ut optimè docet N. Melliſl. lib. de præcep. & diſpenſ. cap. 7. num. 13. F. *Fac ergo duos homicidas: & unum quidem ſpoliandi cupiditate, alterum verò neceſſitate ſe ſe defendendi, facinus perpetraſſe. An non ſatis evidenter inter lepram, & lepram cauſa ſeparat, faciens utique diſparem valdè culpam unius, ejuſdemque tranſgreſſionis.*

VI. Dantur præter peccata mortalia aliqua venialia, ut exprimit S. P. ſerm. in Cœna Dom. num. 4. E. *Sed tamen quid agimus, quòd in hoc corpore peccati, & in hoc tempore malo non poſſumus eſſe ſine peccato? Numquid deſperabimus? abſit* [1. Joan. 1.] „ Si dixerimus „ *ait Beatus Joannes* „ quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & „ veritas in nobis non eſt, ſi autem confiteamur peccata „ noſtra, fidelis Deus eſt, qui remittat peccata, & emundet „ nos ab omni iniquitate „ *Nam, ut de remiſſione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem.* Hæc autem peccata intrinſecè venialia diſtincta ſunt ex natura ſua à mortalibus, & non tantùm ex lege aut miſericordia Dei, vel conditione perſonæ peccantis.

VII. Primum, & eſſentiale diſcrimen peccati mortalis à veniali eſt, quòd illud eſt privatio rectitudinis neceſſariæ ad conſecutionem ultimi finis ſupernaturalis, hoc eſt privatio rectitudinis non neceſſariæ ad conſecutionem talis finis, ſed tantùm utilis; ità ut utrumque peccatum poſſit eſſe contra præceptum Dei. Quare S. P. hoc ità inſinuat ſerm. in Cœna Dom. num. 4. A. *Et unde ſcimus, quia ad diluenda peccata, quæ non ſunt ad mortem, & à quibus planè cavere non poſſumus ante mortem ablutio iſta pertineat? Ex eo planè quòd offerenti manus, & caput pariter ad abluendum reſponſum eſt.* [Joan. 13.] „ Qui lotus eſt non indiget niſi ut „ pedes lavet. *Lotus enim eſt, qui gravia peccata non habet,*

bet, cujus caput ideſt intentio, & manus ideſt operatio, & converſatio munda eſt; ſed pedes qui ſunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur ex toto mundi eſſe non poſſunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curioſitati, plus quàm oporteret cedat animus vel ad horam. Peccatum autem mortale, & peccatum veniale ſi ſumantur in communi, ſeu ut comprehendunt ſub ſe peccata ex genere, & circumſtantiis, differunt inter ſe ſpecie. Pariter eadem peccata, ſi ſumantur ex genere, & in linea moris ſpecificè, & eſſentialiter inter ſe differunt; non ità ſemper, ſi ſumantur in eodem genere moris prout ſunt venialia, & mortalia ex circumſtantiis tantùm, ſivè per accidens.

VIII. Non debetur pœna æterna, ſed temporalis peccato veniali, ſicut & peccato mortali remiſſo quoad culpam. Dicente Melliſl. ſerm.42. de div. num.5. E. *Vadam in iſtam regionem, & videbo viſionem hanc grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occiſionem, ſed ad purgationem, non ad iram, ſed ad miſericordiam, non ad deſtructionem, ſed ad inſtructionem: ut jam non ſint vaſa iræ apta in interitum, ſed vaſa miſericordiæ præparata ad regnum.* Neque pœna æterna debetur peccato veniali, etiam conjuncto cum mortali, ſed tantùm temporalis; & de facto ità punitur in inferno, ſivè in hac vita dimiſſum ſit quoad culpam ſivè non, quod idem dicimus de pœna peccati mortalis remiſſi hìc, nimirùm, quòd perſolvatur, & terminum habeat in inferno.

IX. Cùm infinitum non poſſit ab infinito ſuperari, & malitia unius peccati ſuperet, & excedat malitiam alterius teſte Melliſl. lib. de præcep. & diſpenſ. cap.11. num.25. D. ***Cæterùm ſicut non omnia unius eſſe conſtat vel neceſſitatis, vel utilitatis, vel dignitatis; ſic non una de omnium tranſgreſſione fertur ſententia, nec paria manent diſcrimina diſ-***

Digitized by Google

pares culpas. Porrò nec pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur, nec pari proinde pœna puniuntur. Ecce enim Evangelium tàm flagitium crapulæ, quàm fornicationis turpitudinem damnat. Verùm quis magis non horreat, è duobus malis turpitudine fædari, quàm cibo exſaturari. Hinc eſt quòd peccatum lethale neque in ratione malitiæ, neque in ratione offenſæ eſt ſimpliciter infinitum.

X. S. Bern. tract. de grad. humil. cap.6. num.19. A. inquit. *Hæ ſunt viæ, quæ videntur hominibus bonæ, illis dumtaxat exceptis, qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis, ac ſe de infirmitate, vel ignorantia tegunt ad excuſandas excuſationes in peccatis; ſed fruſtra ſibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent libenter ignorant, vel infirmantur.* Quare ignorantia invincibilis licèt excuſet à peccato, tamen, cùm nulla ſit dabilis ignorantia invincibilis juris naturalis, volens illud ignorare ſe utique de ignorantia tegit ad excuſandas excuſationes in peccatis. Verumtamen ſi daretur ignorantia invincibilis verè talis juris naturalis, hæc utique excuſaret hominem à peccato.

XI. Ex Sacra Scriptura & SS.PP. dantur plura peccata ignorantiæ non ſolùm directè craſſæ, & affectatæ, ſed etiam cùm quis benè fieri putat, quod malum eſt, nec ſolùm dùm non cogitat de malitia operis, ſed etiam cùm putat errore illi ineſſe bonitatem. Unde S.P. Bern. tract. de baptiſ. c.4. num.17. C. inquit. *Si ignorantia numquam peccatum eſt, cur dictum eſt in epiſtola ad Hebræos, quia in ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intraret non ſinè ſanguine, quem offerret pro ſui, & populi ignorantia? Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo peccavit Saulus, quòd perſecutus eſt Eccleſiam Dei; quoniam quidem ignorans hoc fecit manens in incredulitate. Benè itaque faciebat quòd erat blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus; quòd erat ſpi-*

Digitized by Google

ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Jeſu & in hoc ipſo quippè æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergo debuit dicere miſericordiam conſecutus ſum, ſed mercedem recepi, quippè quem ignorantia reddebat immunem, inſuper, & æmulatio remunerabilem judicabat. Si inquam ignorantia numquam peccatur, quid ergo cauſamur adversùs occiſores Apoſtolorum, quandoquidem non ſolùm malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quoque id faciendo, arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? Sed & fruſtra in cruce Salvator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippè neſcientibus ipſo teſte, quid facerent, & ità nequaquam peccantibus. Neque enim fas eſt ullatenus ſuſpicari mentitum fuiſſe Dominum Jeſum apertè perhibentem eos ignorare, quid facerent. Adeòque à fortiori ut opera adversùm jus naturale admiſſa peccata eſſe dicantur, non requiritur ſemper explicita, & actualis, ac formalis ſupra malitiam reflexio, aut attentio percipiens, & penetrans quid in actione mali inſit. Pariter licèt ignorantia factorum, & ignorantia juris poſitivi etiam divini nullatenus pendentis à principiis morum in animo natura conſignatis excuſari poſſint à peccato; non tamen cùm in ignorantia juris poſitivi includitur aliquid juris naturalis, vel cùm jus poſitivum ita proponitur, ut ejus ignorantia non minùs ſit vincibilis, quàm ignorantia juris naturalis, tunc enim ignorantia excuſari nequit à peccato.

XII. Qui bonum agit, & malum eſſe judicat ex conſcientia erronea, peccat, non tamen valet è contra. Unde actus intrinſecè malus ex conſcientiæ erroneæ dictamine bonus exiſtimatus non poteſt eſſe meritorius, ut expresſè docet Melliſſ. lib. de præcept., & diſpenſ. cap. 14. nu. 40. C. *Si igitur* (*ut jam ad propoſitam quæſtiunculam revertamur*.) Reſpondet S. D. ad quæſtionem cur conſcientia errans non æquè convertat malum in bonum, uti bonum in

malum. *Is verè oculus nequam eſt, qui perverſus pariter, & cæcus bonum agit, & malum credit, utique rectè operando ſed opinando iniquè, bonum ſibi in malum vertit, & tantum malum, quantum crediderit, quandoquidem juxtà ſententiam Domini totum corpus tenebroſum reddit oculus nequam. Quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? At non ideò ſequitur, ut qui è contrario malum facit, & bonum putat, juxtà ſuam fidem ſimiliter, & ipſe inveniat. Quare? Non eſt quippè ſimplex oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum reddat.*

XIII. Homo ſinè prævio gratiæ dictamine contra jus naturale peccans gratiam habitualem habuit ſemel adepto uſu rationis, niſi poſitivum obicem fortè poſuerit, & ſæpè habet in vitæ decurſu monentem, habet ſemper à Deo paratam, & oblatam, adeòque carentiam ejus obtendere nequit peccator, nec Dei gratiam incuſare debet, ſed ſuam perverſam arguere voluntatem, legem naturalem in corde ſculptam tenebris repellentem. Quare docet Melliſl. ſerm. 56. in cant. num. 4. B. *Sponſus quidem æqualiter, atque indifferenter præſtò ubique eſt, Divina utique præſentia majeſtatis & magnitudine virtutis ſuæ. Gratiæ tamen exhibitione, ſeu inhibitione, quibuſdam longè, quibuſdam propè eſſe dicitur Angelorum dumtaxat & hominum, ideſt rationalium creaturarum. Denique longè à peccatoribus ſalus, & Sanctus David nihilominus dixit.* [Pſal. 9.] „ Ut quid „ domine receſſiſti longè?„ *Cæterùm à ſanctis pia diſpenſatione ad tempus & non ex toto, ſed juxtà aliquid aliquando longè ſe facit: Peccatoribus autẽ de quibus dicitur* „ [Pſal. 73.] „ ſuperbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper „ *Inquinata ſunt viæ illorum in omni tempore ſemper valdeque longè eſt, atque in ira hoc, & non in miſericordia.*

D E

Digitized by Google

DE OPINIONUM PROBABILITATE.

I. QUando homo tenetur operari, ſequi poteſt ſententiam probabilem, ſi adhibita ſufficienti diligentia, ei alia probabilior tunc non occurrit. Unde S. Bern. epiſt. 8. num. 4. B. ait *Neque enim poſſum, ubi certus non ſum certam proferre ſententiam; ſic contingere debet quarenti rem ubi non ſit ſermo à propheta, conſilium à ſapiente quærendum eſt.*

II. Cùm quis operatur ex opinione probabili falſa, & legi divinæ contraria, quam invincibiliter putat eſſe veram & legi divinæ conformem, à peccato excuſatur, quod innuit Melliſl. lib. de præcep. & diſpenſ. cap. 14. num. 40. D. *Et quidem laude dignam dixerim vel ſolam intentionem piam nec planè condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipſa bona voluntas.*

III. Cùm certiſſimum ſit quod docet Melliſl. epiſt. 82. num. 1. B. *Caterùm cogitans, quod pleriſque, imò cunctis penè ſapientibus contingere ſolet, in rebus, videlicet dubiis plus alieno ſe, quàm proprio credere judicio.* Hinc ſi ſententia minùs probabilis ex ratione, ſeu motivo intrinſeco fiat moraliter certa ex motivo extrinſeco, ſeu adventitia auctoritate, poteſt quis licitè, ac tutò eam ſequi. Unius tamen Doctoris authoritas non ſufficit ad reddendam opinionem in materia morali probabilem, & in praxi tutam. Pariter, regulariter loquendo, non eſt credenda probabilior ea ſententia quia à pluribus DD. traditur.

IV. In rebus dubiis, & in opinionum probabilium concurſu non eſt licitum operari ſecundùm opinionem minùs

pro-

probabilem, ſed pars probabilior tenenda eſt, S. enim Bernar. lib. de præcep. & diſpenſ. cap. 14. num. 35. A. *Ego verò ait, ut interior oculus verè ſimplex ſit duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, & neſcio quemadmodùm judicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas.* Si autem occurrant duæ opiniones æquè probabiles in materia morali, tunc tutior ſemper eſt eligenda, quando verò non conſtat, quænam ex duabus opinionibus æquè probabilibus ſit tutior, tunc ſervandæ ſunt regulæ à jure præſcriptæ. Homo tamen non tenetur ſequi ſemper tutiorem ſententiam, ſed poteſt ſequi minùs tutam, ſi illa appareat probabilior, & veritati conformior.

DE DIVINA GRATIA.

I. HOmo lapſus ſinè ſpeciali gratia poteſt cognoſcere ſingulas veritates purè naturales tàm ſpeculativas, quàm practicas vel difficiliores, & etiam omnes veritates naturales morales ſpeculativas diſtributivè ſumptas, & aliquas veritates morales practicas. *Neque enim vivere* inquit S.P. ſer. 10. de div. num. 1. C. *dicenda eſt anima, quæ veritatis non habet cognitionem, ſed adhuc mortua eſt in ſemetipſa: quemadmodùm, & ea ſinè ſenſu, quæ nec dum habet dilectionem, eſt ergo anima vita veritas, ſenſus Charitas. Nec mireris, quòd interdùm animæ impiorum notitiam habent veritatis, quando, & in corporibus nonnullis vitam reperis ſinè ſenſu, ut ſunt arbores, cæteraque ſimilia animata quidem, ſed animatione, non anima. Quemadmodùm & anima*

ma iniquorum veritatis habent notitiam naturali ratione, quæ tamen interdùm adjuventur à gratia, cùm nullatenùs ſanè animentur ab ea. Tamen nec in ſtatu innocentiæ cognitio omnium veritatum haberi poterat ſinè ſpeciali gratia. Gratia autem homini lapſo de facto collata ad cognoſcendum omne verum naturale non eſt præcisè gratia Dei, ſed gratia Chriſti.

II. Homini etiam juſto, & habitibus infuſis inſtructo neceſſaria eſt gratia actualis ad ſingulos actus ſupernaturales, dicente Melliſl. tract. de grat., & lib. arbit. num.47. F. *Cavendum ergo, ne cùm inviſibiliter intra nos, ac nobiſcum actitari ſentimus, aut noſtræ voluntati, attribuamus, quæ infirma eſt; aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt, ſed ſoli gratiæ qua plenus eſt, ipſa liberum excitat arbitrium cùm ſeminat cogitatum, ſanat cùm immutat affectum, roborat, ut perducat ad actum, ſervat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo præveniat, in cæteris comitetur; ad hoc utique præveniens, ut jam ſibi deinceps cooperetur; ita tamen, quòd à ſola gratia cœptum eſt pariter ab utroque perficitur; ut mixtìm, non ſingillatìm; ſimul, non viciſſim per ſingulos profectò operentur. Non partìm gratia, partìm liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc & totum illa, ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa.* Poteſt nihilominus dari ſpes naturalis circa beatitudinem ſupernaturalem, & amor naturalis circa ſupernaturalem Dei bonitatem ſuppoſita revelatione, & propoſitione talium objectorum. Sicut homini lapſo ad proſequendum aliquod bonum morale non ſunt neceſſaria auxilia gratiæ actualis ex parte voluntatis, nec ex parte intellectus, nec habitus gratiæ, & fidei. Eſt tamen homini lapſo neceſſaria gratia actualis ad amorem etiam ſolùm affectivè efficacem Dei ut Authoris naturæ ad ſuperandas tùm omnes leves tentatio-

Digitized by Google

nes collectivè pro diuturno tempore, tùm ſingulas graves tentationes etiam ſeorſim ſumptas cõtra præcepta naturalia inſurgentes; ſeu laudabiliter, & actu naturaliter honeſto, ſeu pura ommiſſione & negativè, & ad evitandum diù quodlibet peccatum mortale, etiam contra ſolam legem naturalem, eſtò cum ſolo concurſu generali Dei actu honeſto purè naturali ſuperare poſſit aliquam tentationem levem, & vitare aliquod peccatum mortale ſeorſim ſumptum contra præcepta legis naturalis. Ad obſervandam autem totam legem naturalem, quoad ſubſtantiam operum licèt homo in ſtatu naturæ integræ non indiguiſſet gratia ſpeciali, indiget tamen in ſtatu naturæ lapſæ gratia ſpeciali, quæ per accidens ſupernaturalis eſſe debet.

III. Homo lapſus auxiliis extraordinariis deſtitutus non poteſt diù vitare omnia venialia collectivè. *Cuinam horum præcipuè reſiſtendum*, interrogat Bernardus ſerm.85. in cant. num.4. B. *Nempè huic, qui eo moleſtior, quo interior ſolus dejicere ſufficit, cùm ſinè ipſo, alii poſſint facere nihil. Non ſinè cauſa ſapiens expugnatori prætulit urbium, virum, qui animo dominatur. Multùm hoc ad te. Opus virtute habes, & non quacumque, ſed qua induaris ex alto.* Hæc autem impotentia eſt ſolùm moralis. A fortiori homini lapſo etiam juſto eſt neceſſaria gratia actualis ad ſervandum præceptum ſupernaturale poſitivum de actu interno, & præceptum negativum, & etiam præceptum de opere externo, prout hæc præcepta ſunt indirectè ſupernaturalia.

IV. Simpliciter, & abſolutè Deus potuiſſet non providere auxilia ſufficientia ad ſalutem homini in ſtatu naturæ lapſæ. Ex ſuppoſitione verò, quòd Deus prævideric peccatum Adæ, & voluerit omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtum Dominum pro omnibus mori per nullam potentiam voluntate antecedenti potuit non providere omnibus homi-

hominbus auxilia ſaltem remotè, & mediatè ſufficientia ad ſalutem; quare D. Melliſl. ſerm. 1. in Purif. B. M. V. nu. 2. F. exclamat; *In medio enim templi miſericordia eſt, non in angulo, aut diverſorio; quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum. In communi poſita eſt; offertur, omnibus, & nemo illius expers niſi qui renuit.*

V. Indifferentia contrarietatis, ſeu quoad ſpecificationem, & indifferentia moralis, ſeu ad benè, vel malè agendum vel inclinationis, quæ majorem in alteram partem propenſionem excludat non requiritur neceſſariò ad libertatem arbitrii, inquit enim Melliſl. tract. de grat. & lib. arb. cap. 10. nu. 35. E. *Nemo proinde putet ideò dictum liberum arbitrium, quòd æqua inter bonum, & malum, poteſtate aut facilitate verſetur.* Ad hanc enim libertatem ſufficit indifferentia formalis, & contradictionis, quare docet S. P. ſerm. 81. in cant. num. 6. D. *Unde, & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis; Omne etenim quod fecerit bonum, malumve, quod quidem non facere liberum fuit, meritò ad meritum reputatur. Et ut meritò laudatur non is tantùm, qui potuit facere mala, & non fecit; ſed & qui potuit non facere bona, & fecit; ità malo non caret merito; tàm is, qui potuit non facere mala, & fecit, quàm is qui potuit facere bona & non fecit.*

VI. S. Bernardus de hom. libertate differens ſerm. 2. in ſeptuag. num. 2. F. *In libertate poſuit eum Deus, ut inter ſumma, & infima verſans, & in illa excederet ſinè difficultate, & ad hæc ſinè illecebra, aut neceſſitate deſcenderet.* Quare prima radix extrinſeca ſeu remota libertatis creatæ eſt ſumma efficacia divinæ voluntatis. Quapropter dicit S. P. Bernardus ſerm. 2. de Circumc. nu. 1. F. *Ab initio Deus modum acceptat, & nihil umquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit quòd non modò in pondere, &*

menſura, & numero condidit univerſa; ſed & protinus ipſi homini modum præſcripſit.

VII. Divinæ providentiæ privilegium eſt quòd fortis ſimul ſit, & ſuavis attingendo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponendo omnia ſuaviter; ut mellito calamo exaravit Bernardus tract. de grat. & lib. arb. cap. 10. num. 33. B. *Venit ergo ipſa forma cui conformandum erat liberum arbitrium; quia ut priſtinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat, & formatum. Forma autem, ſapientia eſt, conformatio, ut faciat imago in corpore, quod forma facit in orbe. Porrò illa* [Sap.8.] „ attingit à fine „ uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter „. *Attingit à fine uſque ad finem, hoc eſt à ſummo cœlo, uſque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelo uſque ad minimum vermiculum: Attingit autem fortiter, non quidem mobili diſcurſione, vel locali diffuſione; ſed ſubſtantiali quadam, & ubique præſenti fortitudine, qua utique univerſa potentiſſimè movet, ordinat, adminiſtrat.* Itaque Deus non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè independenter à qualibet ſcientia media præmovet, & prædeterminat virtutes activas cauſarum ſecundarum, eaſque juxtà ſuæ naturæ modum ad agendum applicat applicatione prævia; & phyſica. Quæ phyſica prædeterminatio nedum eſt compoſſibilis cum libertate arbitrii creati, verùm etiam in nobis cauſat liberrimam, fortiſſimam, & invictiſſimam voluntatem.

VIII. Hæc phyſica prædeterminatio reſpectu actus peccaminoſi eſt ſolùm quoad eſſe phyſicum, & entitatem, non verò, quoad eſſe formale, ſeu quoad malitiam ipſius. Quare Doct. Melliſl. ſerm. 3. in ſolemn. omn. SS. num. 3. C. ait *Hæc eſt planè requies Domini non interciſa, non circa aliquid certum reſtricta; quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit, & invenit. Nam & bona ei placent in ſe ipſis, & delectatur nihilominus bona*

or-

Digitized by Google

ordinatione malorum. Diligit miſericordiam & judicium, nec modò in bonorum gloria, ſibi complacet, ſed in ipſis quoque utpotè juſtis ſuppliciis impiorum.

IX. *Prorſus abſque perſeverantia, nec qui pugnat victoriam*, ſcribit S. Abb. Clarævall. epiſt. 129. num. 2. C. *Nec palmam victor conſequitur vigor virium virtutum conſumatio eſt nutrix ad medium, mediatrix ad præmium ſoror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeverantiam nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo, denique non qui cœperit ſed* [Matt. 10.] „ Qui perſeveraverit uſque in finem „ hic ſalvus erit. „ Adeòque homini, tum in ſtatu innocentiæ, tum in ſtatu naturæ lapſæ, ad actu perſeverandum infallibiliter in gratia uſque in finem vitæ neceſſaria eſt gratia actualis ſpecialiſſima præter ordinaria auxilia illorum ſtatuum. Hoc autem donum perſeverantiæ finalis ſe habet ad donum confirmationis in gratia, ut incluſum ad includens.

X. Gratia habitualis ſe ipſa adęquatè ab intrinſeco conſtituit hominem hæredem, filium adoptivum, & amicum Dei. Quare S. P. ſerm. in cœna Dom. num. 2. E. inquit *Multa ſiquidem fiunt propter ſe tantùm, alia verò propter alia deſignanda, & ipſa dicuntur ſigna, & ſunt; ut enim de uſualibus ſumamus exemplum, datur annulus abſolutè propter annulum, & nulla eſt ſignificatio; datur ad inveſtiendum de hæreditate aliqua, & ſignum eſt, itaut jam dicere poſſit qui accipit, annulus non valet quidquam, ſed hæreditas eſt quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans paſſioni Dominus de gratia ſua inveſtire curavit ſuos, ut inviſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præſtaretur.* Gratia autem habitualis eſt participatio divinæ naturæ ſolùm acceptæ moraliter, ſeu æthicè; hujus gratiæ habitualis ſolus Deus

Digitized by Google

poteſt eſſe cauſa efficiens phyſica principalis, eamque educit de potentia obedientiali animæ, quamvis de potentia abſoluta ſit producibilis per creationem. De facto autem gratia habitualis in Angelis, primis parentibus, & in omnibus adultis præter Chriſtum Dominum aliquam habuit, & habet diſpoſitionem præviam ex parte ſubjecti. Quæ diſpoſitio ad gratiam habitualem ſecundùm ſe, & ex natura rei requiritur, licèt nequeat eſſe phyſica, & ſit diverſa à præſentibus diſpoſitionibus.

XI. Gratia habitualis eſt perfectior omnibus aliis habitibus infuſis. S.Bern. ſerm.29. in cant. nnm.3. C. *Chariſma per optimum charitas eſt planè incomparabile, quod novæ ſponſæ cæleſtis ſponſus toties inculcare curabat.* Eſt autem veritas fidei dari in gratia habituali inæqualitatem, non eſt tamen inæqualis in omnibus perſonis inęqualitate eſſentiali, & ſpecifica.

DE JUSTIFICATIONE, ET MERITO.

I. GRatia habitualis, & peccatum læthale nec pro uno inſtanti temporis de facto ſimul ſunt, quare S. P. Bernardus ſerm. 3. in annunc. B.M.V. num.9. B. ita de gratia loquitur: *Sed quid dicimus Fratres? Cuinam potiſſimùm vaſi gratia infundetur? Si (ut ſupra meminimus) capax quidem eſt miſericordiæ fiducia; patientia verò juſtitiæ: quale jam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balſamum eſt puriſſimum, & ſolidiſſimum vas requirit. Et quid tam purum, quidve tam ſolidum, quàm humilitas cordis? Meritò proinde humilibus dat gratiam, meritò reſpexit Deus hu-*

Digitized by Google

humilitatem ancillæ ſuæ ; *quonam merito quæris?* *Eo utique, quo animum humilem meritum non occuparet humanum, quo minus liberè influeret divinæ gratiæ plenitudo. Sed ad hanc nobis humilitatem quibuſdam erit gradibus aſcendendum; primo enim cor hominis, quem adhuc peccare delectat, nec miſeram conſuetudinem propoſito meliore mutavit, ne ſit gratiæ capax propriis vitiis præpeditur, ſecundo quoque ubi jam corrigere mores, & priores nequitias de cætero non iterare proponit; ipſa tamen peccata præterita licèt jam amputata quodammodo videantur, dum in eo manent, gratiam non admittunt. Manent autem donec confeſſione laventur; donec ſuccedentibus dignis fructibus pœnitentiæ de medio fiant.* Quare infuſio gratiæ, & expulſio peccati ſunt mutationes diverſæ, & realiter diſtinctæ: Juſtificatio de præſenti, ſeu quæ de facto fit non poteſt de potentia abſoluta fieri per formam extrinſecam, benè tamen juſtificatio aliqua diverſa, & minus perfecta. Imò nec de potentia abſoluta actus charitatis poteſt formaliter perfectè juſtificare, maximè quia repugnat habitus adæquatè diſtinctus à gratia juſtificans æquè perfecte ac gratia, non tamen minus perfectè, quàm gratia. De potentia tamen abſoluta peccatum remitti poteſt per ſolam extrinſecam, & gratuitam Dei condonationem, & etiam infundi gratia peccatori adulto, & remitti peccatum, ſinè ullo actu illius. Implicat nihilominus peccatũ propriè remitti pro inſtanti quo committitur. Gratia tamen habitualis, & peccatum læthale habituale poſſunt divinitùs conjungi.

II. *Paulus de ſe ſuiſque ſimilibus audacter pronunciat.* Ait Bernardus tract. de grat. & lib. arbit. cap. 13. num. 45. B. *Coadjutores enim Dei ſumus. Ibi itaque Deus homini benignè merita conſtituit, ubi per ipſum, & cum ipſo boni quidpiam operari dignanter inſtituit. Hinc coadjutores Dei cooperatores Spiritus-Sancti præmeritores regni nos eſſe præſu-*

mi-

mimus, quòd per conſenſum utique voluntarium divina voluntati conjungimur. Itaque ſi per conſenſum voluntarium promeritores regni cœlorum nos eſſe præſumimus. Hinc promiſſio, ſeu ordinatio extrinſeca Dei non requiritur ad meritum condignum, nec ut ratio conferens aliquem valorem operibus juſtorum, nec ut ratio inducens debitum remunerandi, imò in operibus ſupernaturalibus non requiritur ad meritum ordinatio actualis, nec virtualis per actum charitatis.

III. Ad meritum apud Deum requiritur de facto ex parte merentis ſtatus viæ duntaxat ex divina ordinatione extrinſeca; at ſtatus gratiæ, libertas perfecta, bonitas honeſta & ſupernaturalis intrinſecè, & in ſubſtantia omninò indiſpenſabiliter ad meritum requiruntur. Quare inquit S.Bern. tract. de grat. & lib. arbitrio cap. 1. num. 2. F. *Tolle liberum arbitrium, & non erit quod ſalvetur, tolle gratiam, non erit unde ſalvetur. Opus hoc ſinè duobus effici non poteſt, uno à quo fit, altero cui, vel in quo fit. Deus author eſt ſalutis, liberum arbitrium tantùm capax, nec dare illam niſi Deus, nec capere valet niſi liberum arbitrium. Quod ergo à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio tàm abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis, quàm abſque gratia dantis. Et ità gratia operanti ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium dum conſentit, hoc eſt dum ſalvatur.* Juſtus autem quoties meretur de condigno augumentum gratiæ habitualis meretur per ſe loquendo augumentum omnium virtutum infuſarum. Prima tamen infuſio aliorum habituum ſupernaturalium ſolùm de potentia abſoluta cadere poteſt ſub noſtrum meritum condignum. Verumtamen homo non poteſt ſibi mereri primam gratiam; maximè cùm nec de potentia abſoluta principium meriti poſſit cadere ſub merito cujus eſt principium. Meretur nihilominus homo condignè primam gloriam per ultimam diſpoſitionem

reſ-

Digitized by Google

reſpectu primæ gratiæ ſolùm ut pro ſecundo ſigno naturæ exiſtentem. Per nullam autem potentiam homo poteſt ſibi condignè mereri reparationem lapſus futuri, & etiam præſcindendo à lapſu futuro juſtus non poteſt ſaltem de potentia ordinaria ſibi mereri de condigno finalem perſeverantiam. Imò purus homo de potentia ordinaria nequit de condigno mereri aliquid alteri; poteſt tamen de potentia abſoluta Dei transferre in alterum aliquod ſibi ex merito condigno debitum.

IV. Major perſeverantia in actu meritorio magis auget meritum gratiæ, & gloriæ. Quapropter S.D. ſerm.47. in cant. num.2. E. ait *Lectulus reſperſus floribus conſcientia eſt bonis referta operibus; vides certò ut ſimilitudo ſervetur nequaquam ſufficere ſemel, vel ſecundò operari quod bonum eſt, niſi inceſſanter addas nova prioribus, quatenus ſeminans in benedictionibus de benedictionibus & metas; alioquin jacet, & marcet flos boni operis, atque in brevi omnis ex eo, & nitor exterminatur, & vigor, ſi non aliis, atque aliis ſuperjectis pietatis actibus continuè reparetur.* Major autem intenſio actus oritur à majori gratia actuali; & etiam juſtus quo intenſior eſt quilibet actus meritorius, eo majus meretur gratiæ augumentum proportione geometrica non arithmetica: Quod augumentum gratiæ pro quolibet remiſſiore actu virtutis tribuitur ſtatim poſt elicitum ipſum actum remiſſiorem.

V. Executio externa operis conducit plerumque ad majus meritum, ut ſcribit Melliſl. epiſt.23. num.3. B. *Laudatur Job, quòd ſua patienter amiſit, & non laudabitur Epiſcopus, qui, & libenter dimiſit & liberaliter diſtribuit? Non expectavit mortem, quando jam nec dare, nec retinere in ſua haberet poteſtate, quod utique multi faciunt, quorum videlicet teſtamentum nonniſi in mortuis confirmatur; ſed adhuc inter ſpem vitæ metumque poſitus mortis vivens libenſque*

Digitized by Google

ſque diſperſit, & dedit pauperibus, ut juſtitia ejus maneret in ſæculum ſæculi.

VI. *Ex magnitudine indulgentiæ* ait Melliſl. ſerm. 1. in Epiph. Dom. num. 4. E. *magnitudinem ultionis attende; immenſus eſt enim Deus, & infinitus in juſtitia, ſicut & in miſericordia, multus ad ignoſcendum, multus ad ulciſcendum; ſed miſericordia quidem priora ſibi vindicat, ut ſi voluerimus diſtrictio invenire non poſſit in quem ſæviat, propter hoc enim benignitatem prorogavit, ut per eam reconciliati ſeveritatem videamus ſecuri.* Hæc autem indulgentiæ magnitudo per quam ſeveritatem Dei ſecuri videbimus eluceſcit etiam in eo quòd in quacumque juſtificatione merita mortificata ex natura rei reviviſcant adæquatè, quoad totum præmium eſſentiale illis antecedenter debitum.

VII. Merita per peccatum finale & pro ſtatu damnationis redduntur extincta, & mortua. Unde huic aſſerto applicari poſſunt quæ dixit Bern. ſerm. 42. de div. num. 6. A. *Quomodo cecidiſti Lucifer qui manè oriebaris? Omnis lapis prætioſus operimentum tuum; modò ſub te ſternitur tinea, & operimentum tuum vermis.*

DE FIDE.

I. OBjectum materiale adæquatum fidei noſtræ eſt omnis veritas à Deo revelata, & revelabilis: Unde S. P. ſerm. 49. de div. D. [Pſal. 18.] „ Dies diei „ ait „ eructat verbum „ *Deus Pater animæ rationali per fidem illuminatæ* „ & nox nocti „ indicat ſcientiam „ *creatura rationalis animæ rationali nondum per fidem illuminatæ. Unde Apoſtolus* [ad Rom. 1.] „ Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur „ *Unde nos dicimus verbum indicatum, verbum in-*

inſpiratum, verbum eructatum. Primum fecit cognitionem, ſecundum converſionem, tertium vivificationem. Primum obfuit, ſecundum non profuit, tertium vivificavit. Primum obfuit, [ad Rom.1.] „ quia cùm cognoviſſent Deum, non „ ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogita- „ tionibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. „ *Secundum non profuit, quia non data eſt lex quæ poſſet vivificare. Tertium vivificavit, quia per crucem redemit. Primum totum de foris, ſecundum foris, & intus; tertium totum intus. Et nota quia quod eructatur de plenitudine eructantis cum quodam ipſius ſubſtantiæ ſapore profertur, & idcircò Sapientia incarnata dicitur habens in ſe omnem plenitudinem, in miraculis cognitionem, in doctrina converſionem, in paſſione vivificationem. Unde ait propheta* [Oſeæ.6.] „ Venite, & revertamur ad Dominum, quia „ ipſe cæpit, & ſanabit nos, percutiet, & curabit nos, vi- „ vificabit nos poſt duos dies. „ *Scilicet cognitionis, & converſionis* „ in die tertia ſuſcitabit nos „ *voce Verbi incarnati per primam ſuam reſurrectionem* „ & vivemus in „ conſpectu ejus; „ *vivificati per paſſionem, ſereniùs illuminati per miraculorum cognitionem*. „ Sequemurque ut „ cognoſcamus Dominum „ *Inſtructi per doctrinæ converſionem*. Fidei igitur objectum materiale primarium, ſeu formale quod, ſeu attributionis eſt Deus, ut Deus, ſeu ſub ratione Deitatis. Objecta autem materialia fidei ſecundùm nos, & ex parte credentis ſunt omnia complexa, ſeu compoſita, ſecundùm ſe, & ex parte rei creditæ, aliqua ſunt complexa, ſeu compoſità, aliqua incomplexa, ſeu ſimplicia, abſolutè verò, & ut credibilia ſunt ab intellectu etiam ſeparato rectè dicuntur tum ex parte credentis, tum ex parte rei creditæ abſtrahere, ſeu præſcindere à complexo, & ſimplici. Hæc autem objecta materialia fidei accepta aptitudinaliter, & remotè, ideſt veritates revelabiles nec creve-

runt, nec decreverunt, nec creſcere, nec decreſcere potuerunt, quoad rem, nec actualiter, & proximè ſub gratia, ideſt toto eo intervallo temporis, quod à Chriſto, & Apoſtolis uſque ad nos fluxit; quamvis aliqua creverint quoad modum. Cùm autem S. Doctor in authoritate allata dicat, *idcircò Sapientia incarnata dicitur habens in ſe omnem plenitudinem, in miraculis cognitionem, in doctrina converſionem, in paſsione vivificationem. Unde ait Propheta.* „ Venite & revertamur ad Dominum quia ipſe cæpit, & „ ſanabit nos, percutiet, & curabit nos, vivificabit nos „ poſt duos dies „ *ſcilicet cognitionis, & converſionis* „ in „ die tertio ſuſcitabit nos „ *voce Verbi incarnati per primam ſuam reſurrectionem* „ & vivemus in conſpectu ejus „ *vivificati per paſſionem, ſereniùs illuminati per miraculorum cognitionem.* Hinc fit quòd requiritur ad fidem aliquod lumen ſupernaturale ſuaſivum, quod regulariter, & juxta leges ordinariæ providentiæ non infundit Deus, niſi cùm revelatio in prima fidei acceptatione proponitur mediatè, aut immediatè à Prædicatore legitimè miſſo, & cùm proponuntur motiva credibilitatis, propter quæ poſſit credi prudenter fide etiam humana, quòd, Deus per Apoſtolos, & Prophetas illud revelavit. Hæc autem prædicatio miniſtri, & propoſitio motivorum non eſt ſimpliciter neceſſaria ad aſſentiendum revelationi propter ſe, & Myſterio revelato propter revelationem aſſenſu fidei ſupernaturali, licèt ſit regulariter, & juxta leges ordinariæ providentiæ neceſſaria ad alios actus fidei ſupernaturalis poſt primam acceptationem fidei. Quare prædicatio Miniſtri & propoſitio motivorum non requiruntur ad aſſenſum fidei ſupernaturalem, niſi ut motivum purè extrinſecum, & ut pura conditio, in authoritate autem allata dixerat S. P. *Primum obfuit* (verbum ſcilicet indicatum) „ quia cùm cognoviſſent Deum „ non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogita-

Digitized by Google

„ tationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum „.
Hinc deducitur quòd veritas ipſa Myſterii revelati non poteſt eſſe motivum proximè, & immediatè movens, ac determinans ad aſſenſum fidei propriè talem; & etiam quòd in ſola veritate in cognoſcendo non adeſt objectum formale fidei. Addit autem S.D. *Tertium* (ſcilicet verbum eructatum) *vivificavit; quia per crucem redemit . . . . Tertium totum intus. Et nota quia quod eructatur de plenitudine eructantis cum quodam ipſius ſubſtantiæ ſapore profertur.* Adeòque divina veracitas, ſeu authoritas, ut importat veritatem in dicendo perfectam, & eſſentialiter connexam cum veritate in cognoſcendo eſt objectum formale fidei. Addimus quòd revelatio divina propriè, & ſtrictè ſumpta pro manifeſtatione objecti facta per locutionem ſpectat ad objectum formale fidei ut pars ipſius, non ut pura conditio, & ſicut illa revelatio dicit tum aliquid increatum intra Deum, tum aliquid creatum extra Deum, quamvis non ſit neceſſe ut explicitè cognoſcatur quòd includat aliquod increatum intra Deum, & aliquod creatum extra Deum. Quare objectum formale fidei adæquatum eſt divina veracitas ut connexa cum veritate in cognoſcendo, & divina revelatio ut facta cum locutione.

II. Quoad ſubſtantiam credibilium fuit eadem fides ab initio Mundi, quæ nunc eſt ſub gratia, & in aliquo ſenſu objecta materialia fidei numquam creverunt; non tamen in eo ſenſu, quo non creverunt ſub gratia objecta materialia fidei dici pariter poteſt non creviſſe ab initio Mundi uſque ad tempus gratiæ, reclamante Bernardo tract. de baptiſmo cap.3. num.10. D. *Aſſerit præterea, ut dicis, ille, quem dicis, omnes antiquos juſtos quotquot videlicet Chriſti adventum præceſſerunt, tantam omninò habuiſſe præſcientiam futurorum, quantam nos, qui poſt ſumus, præteritorum ſcientiam; itaut nullus vel ſimplicium juſtorum aliquid*

 pror-

prorſus ignoraret ex omnibus, quæ modò nobis evangelica pandit hiſtoria, verbigratia Verbum incarnatum, partum virginalem, doctrinam Salvatoris, miracula, crucem, mortem, ſepulturam, deſcenſum ad inferos, reſurrectionem, & ad cælos aſcenſionem, ſic omninò omnibus illorum temporum juſtis, & apertè omnia, & diſtinctè ſingula fuiſſe præcognita, quemadmodum ſuo ſunt tempore poſt exhibita, & modò cognita nobis: adeòut nec juſti fuerint, nec ſalvi ſint, quibus ità clara omnia, & perſpicua fuerunt. Et id quidem falſum.

III. Ad objectum formale fidei ſpectat de lege ordinaria propoſitio Eccleſiæ, non ut pars talis objecti conſtitutiva, ſed ut peculiaris modus applicationis ipſius, & conditio non quidem ex natura, ſed ex lege ordinaria neceſſaria. Quare S. P. in præfat. ad tract. de error. Abael. E. ait *oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippè hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt* . [Luc. 22.] „ Ego pro te rogavi Petre, ut non „ deficiat fides tua „ ? *Ergo quod ſequitur à Petri ſucceſſore exigitur*„ & tu aliquando converſus confirma fratres tuos„. *Id, quidem modò neceſſarium. Tempus eſt ut veſtrum agnoſcatis Pater Amantiſſime Principatum; probetis zelum, Miniſterium honoretis; in eo planè Petri impletis vices, cujus tenetis & Sedem ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra auctoritate conteritis fidei corruptores*. Non requiritur autem ad objectum formale fidei revelatio privata ſimul cum publica, ſed publica ſe ſola ſufficit. Imò ad objectum formale fidei ſufficit revelatio non omninò explicita, & etiam revelatio univerſalis ad credenda particularia ſub ſe implicitè contenta. Inſuper ſufficit

ficit ad objectum formale fidei revelatio virtualis, & ſunt de fide credenda ea etiam, ſuper quę divina revelatio ſolùm virtualiter cadit.

IV. *Puto, & vias Domini vultis audire* ait Bern. ſer. 11. in pſal. 90. num. 7. A. *Multum præſumere videor, ſi me illas promiſero oſtenſurum; legitur autem de ipſo* [Iſai. 2.] „ quoniam docebit nos vias ſuas „. *Cui enim alteri crederetur? Docuit itaque vias ſuas cùm aperuit labia prophetæ ut diceret* [Pſal. 24.] „ univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas „ *ità ad ſingulos, ità ad omnes communiter venit, in miſericordia ſcilicet, & veritate*. Quare in veracitate divina tamquam objecto formali fidei requiritur omnis ſumma perfectio ſuæ lineæ; & nec de potentia abſoluta poteſt Deus falſum dicere, aut mentiri, ſeu per ſe, ſeu per alium, nec uti amphibologia, & reſtrictione mentali ſimpliciter, & purè tali; nec producere habitum, & actum erroris etiam præſcindendo ab eo, quòd actus vitalis non poſſit produci ab extrinſeco; nec ſe ſolo cauſare errorem extra aliquod ſubjectum; quod non poteſt illo formaliter errare; ut ſi illum cauſet in lapide, etiam præſcindendo à repugnantia alicujus vitalis in alio non vitali. Quare ſi concionator falſa inter concionandum dicat, non poteſt Deus per ſe intendere, & per ſe movere audientem, ut abſolutè aſſentiatur falſis.

V. Miracula, quæ operatur Deus, in ſui gloriam operatur, teſte Melliſl. ſerm. in feſt. S. Martini Epiſc. num. 13. D. *Verùm hæc quidem, cæteraque hujuſmodi altiſſima quæ fecit magnalia, quid ni mirifica vaſa dixerim divitis hujus auro gravia, gemmis micantia, pariterque materia, & opere prætioſa? Noli in his ſaporem quærere, ſed mirare ſplendorem. Luceat in hujuſmodi lucerna noſtra, ut in lumine ejus videamus lumen, quod quidem purum prout in ſe eſt nec dum prævales intueri. Non enim eſt iſte lux, ſed ut* te-

ſteſtimonium perhibeat de lumine , & appareat ſibi interim ſglori ſus Deus in ſancto ſuo , dum non potes ad gloriam ejus ſicut eſt in ſe ipſo . Quare non poteſt Deus operari miracula in confirmationem falſi , nec falſa doctrina poteſt per accidens per abuſum confirmari veris miraculis .

VI. Revelatio requiſita ad objectum formale fidei debet eſſe divina in re , nec ſufficit talis in exiſtimatione , & nec de potentia Dei abſoluta eſt dabilis actus fidei ſupernaturalis elicitus ex revelatione putata . Quare ait S. Bern. tract. de error. Abael. cap.4. num.9. C. & ſeq. *Nec mirum ſi homo , qui non curat , quæ dicat , irruens in arcana fidei , theſauros abſconditos pietatis tam irreverenter invadit , atque diſcerpit : cùm de ipſa pietate fidei , nec piè, nec fideliter ſentiat . Denique in primo limine Theologiæ , vel potius ſtultilogiæ ſuæ fidem definit æſtimationem ; quaſi cuique in ea ſentire , & loqui , quæ libeat , liceat ; aut pendeant ſub incerto in vagis , ac variis opinionibus noſtræ fidei ſacramenta , & non magis certa veritate ſubſiſtant . Nonne ſi fluctuat fides , inanis eſt , & ſpes noſtra ? Stulti ergo Martyres noſtri ſuſtinentes tam acerba propter incerta , nec dubitantes ſub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium . Sed abſit , ut putemus in fide , vel ſpe noſtra aliquid , ut is putat dubia æſtimatione pendulum , & non magis totum , quod in ea eſt certa , ac ſolida veritate ſubnixum , oraculis divinitùs perſuaſum , ſtabilitum , & conſecratum partu Virginis ſanguine Redemptoris , gloria reſurgentis . Teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis , ſi quo minus ipſe poſtremò ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro , quòd filii Dei ſumus . Quomodo ergo fidem quis audet dicere æſtimationem, niſi qui ſpiritum iſtum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret , aut fabulam putet ?* [2. ad Tim.1.] „ Scio cui credidi , & certus ſum „ *clamat Apoſtolus , & tu mihi ſubſibilas ; fides eſt æſtimatio ? Tu mihi am-*

Digitized by Google

ambiguum garris, quo nihil eſt certius? Sed Auguſtinus aliter. Fides, ait, non conjecturando, vel opinando habetur in corde, in quo eſt, ab eo cujus eſt; ſed certa ſcientia acclamante conſcientia. Abſit, ergo, abſit, ut hos fines fides habeat Chriſtiana. Academicorum ſint iſta æſtimationes, quorum eſt dubitare de omnibus, ſcire nihil. Placet mihi fateor, illius de fide definitio etſi iſte etiam ipſam latenter inſimulet [ad Heb. 11.] „ Fides eſt „ *ait* „ ſubſtantia rerum ſperandarum, „ argumentum non apparentium „. *Subſtantia inquit rerum ſperandarum, non inanium phantaſis conjecturarum: Audis ſubſtantiam, non licet tibi in fide putare vel diſputare pro libitu. Non hàc, illàcque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Subſtantiæ nomine aliquid tibi certum fixumque præfigitur: certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non eſt enim fides æſtimatio, ſed certitudo.* Ex hac Melliflui Doctoris authoritate optimè deducitur, quòd Myſteria noſtræ fidei ſunt evidenter, prudenter credibilia, & credenda, & probatur quoque cæteras omnes religiones præter catholicam non eſſe prudenter credibiles, & credendas. Hæc tamen myſteria noſtræ fidei etiam penetrāti juxta modum communem motiva omnia credibilitatis non ſunt evidentia, neque evidentia metaphyſica, neque evidentia phyſica, neque morali; colligitur etiam ex illa authoritate, quòd actus fidei ſupernaturalis infuſæ ſit certus certitudine indefectibilitatis à vero, & etiam eſt certus quoad nos in genere cauſæ formalis inhærentis nobis, & conſtituentis nos per ſe ipſum formaliter certos, non eſt tamen certus quoad nos in genere cauſæ objectivæ reflexè cognitæ, aut cognoſcibilis ab intellectu regulariter loquendo; ut autem actus certus conſtituat in genere cauſæ formalis intellectum certum certitudine indefectibilitatis à vero, non debet reflexè cognoſci per cognitionem certam. Infertur etiam ex laudato textu, quòd aſſenſus fidei ſupernaturalis in-

Digitized by Google

infuſæ eſt certitudine indefectibilitatis à vero certior quolibet aſſenſu naturali, ſive phyſicè, ſive metaphyſicè evidenti. Imò certitudo adhæſionis affectivæ conveniens actui fidei obſcuro ſupernaturali major eſt, quàm certitudo adhæſionis ſpeculativæ conveniens actu naturali evidenti, & inevidenti.

VII. Evidentia revelationis neceſſitat intellectum ad aſſenſum Myſterii revelati, ſicque ſit evidens myſterium revelatum, adeoque ad fidem requiritur obſcuritas ex parte objecti materialis, & talis obſcuritas quatenus ſe tenet ex parte objecti fidei præcisè requiritur eſſentialiter, quatenus ſe tenet ex parte ſubjecti non item. Ait enim S. Bernar. ſerm. 31. in cant. num. 8. B. *Quomodo namque apud veteres quidem, umbram, figuramque dicitur extitiſſe, nobis autem per gratiam Chriſti in carne præſentis ipſam per ſe illuceſcere veritatem: ità nos quoque reſpectu futuri ſæculi in quadam interim veritatis umbra vivere non negabit, niſi, qui non acquieſcit Apoſtolo dicenti:* [1. ad Corinth. 13.] „ Ex parte „ cognoſcimus & ex parte prophetamus „. *Et illud* [ad Philip. 3.] „ non arbitror me comprehendiſſe „. *Quomodo enim non eſt diſtinctio ejus, qui per fidem ambulat, & illius qui per ſpeciem? Ergo juſtus ex fide vivit, Beatus exultat in ſpecie, & ideò ſanctus homo vivit interim in umbra Chriſti, Sanctus Angelus in ſplendore vultus gloriæ gloriatur. Et bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti; & oculum præparat luci; ſcriptum eſt enim* [act. 15.] „ Fide „ mundans corda eorum „. *Fides itaque lucem non extinguit, ſed cuſtodit: quidquid ſanè eſt illud, quod videt Angelus, hoc mihi umbra fidei ſervat fideli ſinu repoſitum in tempore revelandum. An non expedit tenere vel involutum, quod nudum non capis? Denique & Mater Domini vivebat in umbra fidei cui dictum eſt* [Luc. 1.] „ Et beata quæ „ credidiſti „. *Habuit & de Chriſti corpore umbram, quæ*

audi-

audivit [Luc.1.] „ Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi . „ Suppoſitâ autem evidentia ex parte veracitatis requiritur ad fidem ex parte revelationis obſcuritas ut modus intrinſecus, & quaſi pars objecti formalis, quæ obſcuritas ſive ex parte revelationis, ſive ex parte veracitatis tantùm, ſive ex parte utriuſque non variat ſpecie fidem. Hinc cùm eſſentialiter hæc obſcuritas ex aliqua parte requiratur, fit, non poſſe fidem conſiſtere cum evidentia in atteſtante formaliter, & per ſe loquendo. Poteſt tamen componi in eodem intellectu actus fidei divinæ cum judicio tum probabili, tum evidenti circa idem objectum materiale.

VIII. Fides uti poteſt diſcurſu formali, & immediato, qui tamen ſe haberet ad aſſenſum explicativè, aut quaſi diſpoſitivè, non autem probativè, & motivè, hujus rationem reddit Melliſl. epiſt.338. num.1. E. quia *Fides piorum credit, non diſcurrit, ſed iſte Deum habens ſuſpectum credere non vult, niſi quod prius ratione diſcuſſerit.*

IX. In hac providentia omnis tum Angelus, tum purus homo ſive parvulus, ſive adultus non potuit eſſe juſtus juſtitia ſupernaturali, nec potuit conſequi æternam beatitudinem ſine habitu fidei. S. enim Bern. in vigil. Nativ. Dom. num. 4. F ait. *Legi de quodam dicente ſcriptura quoniam* [Eccleſiaſtici 45.] „ in fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum „ *Neque enim hominibus ſinè lenitate, non plus quàm Deo ſinè fide placere poſſibile eſt; merito ſanè in his monemur eſſe parati, quibus & Deo conveniamus, cujus majeſtatem viſuri ſumus, & nobis invicem, ut in nobis, eam pariter videamus. Propterea ſiquidem oportet nos providere bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ut non tantùm Regi noſtro, ſed & concivibus, & commilitonibus noſtris grati eſſe poſſimus. Et quidem ante omnia fides quærenda eſt, de qua legitur* [act.15.]„ Fide mundans corda eo-

 „rum. „

„ rum .„ *Beati enim mundo corde quoniam ipſi majeſtatem Dei videbunt*. Igitur eſt catholica veritas dari fidei habitum, ſeu virtutem, & donum per ſe infuſum. Qui habitus fidei eſt eſſentialiter, & in ſua ſpecie unicus, diviſibilis ſolùm impropriè in membra tantùm accidentaliter diverſa; infunditur parvulis ſimul tempore cum habitu gratiæ, adultis verò regulariter infunditur prius tempore; habet pro cauſa efficienti morali actus proprios, & gratiam habitualem, pro cauſa phyſica, & inſtrumentali baptiſmum, & pœnitentiam, pro cauſa phyſica principali ſolum Deum, nullatenus verò proprium actum, & habitum gratiæ; in peccatore fideli augetur per quemlibet actum proprium. In juſto autem loquendo regulariter augetur per quemlibet actum meritorium augumenti gratiæ, & de facto numquam remittitur. Amittitur verò per ſolum, & quodcumque peccatum mortale, infidelitatis internæ, & recipitur in intellectu, ut in ſubjecto immediato, & proximo, & in natura intellectuali ſecundùm ſe, ut in ſubjecto mediato, & remoto. Sed non datur de facto in damnatis, neque in Beatis. Benè tamen datus fuit in Angelis, & primis Parentibus in prima ſui conditione, & quoties ipſe deperditur, toties deperditur etiam habitus piæ affectionis. Tandem fides tam quoad actum, quàm quoad habitum eſt cæteris virtutibus ordine rationis, & quaſi cauſalitatis prior etiam ipſa charitate; ordine verò dignitatis, & perfectionis eſt poſterior ſola charitate.

X. Parvulis ad juſtificationem, & ſalutem non eſt neceſſarius actus fidei elicitus ab ipſis, vel à miniſtro baptizante, vel à parentibus, ſed ii juſtificantur in baptiſmo, & ſi moriuntur ante uſum rationis ſalvantur in fide actuali Eccleſiæ. Unde dicit Melliſſ. tract. de baptiſ. cap. 2. num. 9. A. *Sanè infantes, quia hanc, probibente ætate non poſſunt habere fidem, hoc eſt cordis ad Deum converſionem, conſe-*

quen-

Digitized by Google

quenter nec ſalutem, ſi abſque baptiſmi perceptione moriuntur; non quòd vel ipſi quando baptizantur fide omninò careant, ſine qua impoſſibile eſt vel ipſos placere Deo, ſed ſalvantur & ipſi per fidem, non tamen ſuam, ſed alienam.

XI. Ad juſtificationem, & ſalutem adultorum, licèt non ſit neceſſarius neceſſitate medii Sacramentum baptiſmi in re, ut evincitur ex Melliſl. tract. de baptiſ. cap. 2. num. 8. D. *Si recordatus fuerit homo nec dum ſe ſalutis percepiſſe Myſterium, & dolens, pœnitenſque toto deſiderio expetierit, ſed aſſequi mortis celeritate praeoccupatus nequiverit, damnabit fidelem ſuum Deus? damnabit, inquam, hominem pro ſe etiam paratum mori? Paulus dicit* [1. ad Corinth. 12.] „ Non poteſt dicere Dominus Jeſus niſi in Spiritu Sancto.„ *Hunc ergo, qui in articulo mortis invocat Dominum Jeſum, ſed ipſius quoque toto deſiderio expetit Sacramentum; dicemus aut non loqui in Spiritu Sancto, & falſus erit Apoſtolus, aut, & cum Spiritu Sancto damnabitur; Salvatorem habet habitantem per fidem in corde, & in ore per confeſſionem, & cum Salvatore damnabitur. Pro certo, cùm non aliunde martyrium niſi ex fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut ſingulariter vice baptiſmi ſecurè ſuſcipiatur; non video cur non ipſa æquè, & ſinè martyrio apud Deum tantumdem poſſit, cui & ſinè martyrii probamento procul dubio innoteſcit.* Tamen eſt, & fuit ſemper neceſſarius neceſſitate medii aliquis actus fidei ſupernaturalis infuſæ ſtrictè, & propriè ex divina revelatione, non autem fidei latè dictæ ex teſtimonio creaturarum, vel ex alio ſimili motivo, etſi de potentia abſoluta haberi poſſit juſtificatio, & ſalus adultorum abſque omni actu fidei. Ad gloriam autem non eſt neceſſarius ullus actus fidei, qui non ſit eodem modo neceſſarius ad juſtificationem. Actus hujuſmodi fidei infuſæ, ſicut & alii actus virtutum per ſe infuſarum etiam in via ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & ſortiuntur pri-

Digitized by Google

mariò ſuam ſupernaturalitatem ex ſupernaturalitate objectorum formalium in genere cauſæ formalis, itaut nec divinitùs actus naturalis reſpicere poſſit objectum formale ſupernaturale, aut actus ſupernaturalis objectum formale naturale; in genere verò cauſæ efficientis ſortiuntur ſuam ſupernaturalitatem ex eo quòd procedant ab habitibus in ſubſtantia ſupernaturalibus.

XII. Numquam fuit, nec eſt de facto neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem adultorum fides explicita Incarnationis, ac Trinitatis, ità S. Bern. tract. de baptiſ. cap. 3. n. 15. *Quanti hodieque profectò in populo Chriſtiano vitæ æternæ, ſæculique futuri, quod indubitanter credunt, & ſperant, & ardenter deſiderant, formam tamen, ac ſtatum ne cogitare quidem vel tenuiter norunt? Ità ergo multi ante Salvatoris adventum Deum omnipotentem tenentes, & diligentes ſuæ ſalutis gratuitum promiſſorem, credentes in promiſſione fidelem, ſperantes certiſſimum Redemptorem in hac fide, & expectatione ſalvati ſunt, licèt quando, & qualiter, & quo ordine ſalus repromiſſa fieret ignorarent*. Benè tamen de facto eſt, & fuit hoc modo ſemper neceſſaria fides explicita Dei tum ut exiſtentis, tum ut remuneratoris ſupernaturalis. In lege autem nova eſt etiam neceſſaria ad ſalutem neceſſitate tantùm præcepti poſitivi alia fides interna, nempè fides explicita ſaltem eorum, quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur; & in aliquibus particularibus perſonis præter obligationem fidei omnibus fidelibus communem datur obligatio fidei majoris, tum intenſivè, tum extenſivè. Hæc autem obligatio, ſeu præceptum exercendi actum internum credendi eſt ſpeciale, ſpectans ad ſpecialem virtutem fidei, & eſt ſupernaturale, ac divinum, non autem merè Eccleſiaſticum, & obligat ſtatim ac fides ſufficienter proponitur, tum ſæpè in vitæ decurſu, tum determinatè in mortis articulo.

Non

Digitized by Google

XIII. Non eſt peccatum infidelitas purè negativa, id eſt ea quæ oritur ex impotentia proxima ad credendum, puta quia ad notitiam alicujus non pervenerunt credibilia. *Valde quippe injuſtè exigitur obeditio* ait S. Doct. tract. de baptiſ. cap. 1. num. 2. B. *ubi non præceſſit auditio. Neque enim tale eſt hoc, quod & abſque promulgatione naturalis lex ignorare non ſineret, quale verbi gratia illud eſt quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Facticium quodammodo eſt, & non naturale mandatum. Quænam enim natura, ſeu ratio docet internam, æternamque ſalutem neminem mortalium poſſe percipere, cujus corpus foris perfuſum viſibili non fuerit elemento? Sacramentum Dei Altiſſimi eſt ſuſcipiendum, non diſcutiendum; fide ſortitum, non innatum; traditione ſancitum, non adinventum ratione. Porrò fidem neceſſe eſt, ut auditus præceſſerit dicente Apoſtolo.* [ad Rom. 10.] ,, Ergo fides ex auditu ,, *Quod ergo omninò fieri non poterat, ſi non audiretur, quo pacto quæſo exigi debeat, & antequam audiretur? Vide autem quomodo huc refugit Apoſtolus, & de ſolo auditu convincit incredulos.*

XIV. Præceptum negativum fidei, ut importat non negare fidem, ſeu confeſſio fidei negativè ſumpta eſt neceſſaria ad ſalutem ſemper, & pro ſemper ex obligatione hujuſmodi præcepti negativi. Confeſſio autem fidei ſumpta poſitivè, quatenus dicit profiteri fidem eſt neceſſaria ad ſalutem ex obligatione præcepti affirmativi. S. enim Bernardus lib. de offic. Epiſc. cap. 4. num. 15. D. ait *Denique ſequitur, & ait.* [Lucæ. 8.] ,, Quia ad tempus credunt. ,, *Bonum eſt, ſed utinam duraturum, non enim qui cæperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Non autem durant, quoniam* ,, in tempore tentationis recedunt. *Beati ſi interim rapti fuiſſent antequam malitia mutaret corda eorum. Nunc vero væ prægnantibus, & lactantibus in illis diebus teneros utique fœtus geſtantibus, & de vita recenti facilè in periculis*

ex-

Digitized by Google

exturbandos. Tales ſunt animæ parvam adhuc, & teneram habentes charitatem, & ob hoc earum fidem vivam, ſed fictam neceſſe eſt in tentatione deficere. [Eccleſiaſtici 27.] „ Vaſa figuli, ait, probat fornax, & homines juſtos tentatio. „ *Illos videlicet, qui ex fide vivunt. Juſtus nempè ex fide vivit, ſed ex fide, quæ vivat. Neque enim quæ mortua eſt vitam dare poteſt . . . . Solam itaque juſtorum fidem, ideſt vivorum vivam fornax tentationum ſuſcipit examinandam; ſed non omnium juſtitia manet in ſæculum, ſæculi, quoniam ſunt* „ qui ad tempus credunt, & in tempore tenta- „ tionis recedunt. „ *Qualis ſit cujuſcumque fides tribulatio probat.* Quare licèt ex ſe ſit licitum per ſe loquendo in perſecutione fugam arripere, & hoc eſt dogma catholicum, & etiam licitum ſit per ſe loquendo ad vitandam interrogationem de fide publica authoritate faciendam impendere vectigal Magiſtratibus, & Tyrannis maximè cùm aliquando adſit obligatio vitandi interrogationem publica authoritate faciendam, & id poſſit, tamen numquam eſt licitum ſimulare falſam religionem etiam non inſtante præcepto confeſſionis fidei, & ſecluſo ſcandalo inducendi alios in errorem, aut in hoc alios confirmandi. Quapropter eſt fidelibus illicitum adhibere ſigna ità propria infidelium, ut ſint præcisè inſtituta ad ſignificationem, & proteſtationem falſæ Religionis, ſecus verò ſi ſint ſigna ſolùm politica inſtituta ad diſtinguendos homines unius nationis ab hominibus alterius nationis.

DE

Digitized by Google

DE SPE.

I. S. Bernardus ſerm.9.in pſal.90.n.8.B.explicans illud pſalmi [Pſal.7.] „ quoniam in te ſpe- „ ravi „ addit, *jam quidem fratres quæ dicta ſunt ad expoſitionem hujus verſus viderentur poſſe ſufficere.* „ Quoniam in te ſperavi „, *ſicut in aliis pſalmis quibuſdam invenitur. Cæterùm quod dicit* „ Tu es Domine ſpes mea. „ *Fortè amplius aliquid ſonat, & ſublimius; quod videlicet non modò in eo ſperet, ſed eum. convenientius ſiquidem ſpes noſtra dicitur quod ſperamus, quàm in quo ſperamus.* Quare objectum materiale adæquatum ſpei theologicæ eſt æterna beatitudo unà cum omnibus aliis bonis ad ipſam ſpectantibus. Objectum autem materiale primarium, ſeu formale quod ſpei, eſt principalius beatitudo ſupernaturalis objectiva, non quidem aliena, ut præcisè relatè ad alium, ſed ut relata ad ſperantem; minus principaliter verò eſt beatitudo formalis ſupernaturalis; Objectum autem formale quo, ſeu motivum Spei Theologicæ non conſiſtit in ratione ardui, neque in Deo, ut authore bonorum ſupernaturalium, ſeu in omnipotentia ut promittente, aut auxiliante, ſed eſſentialiter conſiſtit in bonitate beatitudinis objectivæ reſpectu ſperantis.

II. Ab habitu ſpei proveniunt ſecundariò, & minus principaliter aliqui actus tum proſecutionis, tum fugæ. *Hoc ſapere ex fide verè eſt* ait Melliſl. ſerm.9. in pſal.90.n.6.C. *Nec alius ex ſententia dicere poteſt* „ Quoniam tu es Domi- „ ne ſpes mea „ *Niſi cui intus ſit perſuaſum à ſpiritu, ut, (quemadmodum monet propheta) jactet cogitatum ſuum in Domino, ſciens quòd enutriendus ſit ab eo, juxta illud quoque Petri Apoſtoli* [1.Pet.5.] „ Omnem ſollicitudinem veſtram,

pro-

„ projicientes in eum ipſi enim cura eſt de vobis .„ *Ut quid enim ſi hæc ſapimus , ut quid cunctamur abjicere omninò ſpes miſeras , vanas , inutiles , ſeductorias ; & huic uni tam ſolidæ , tam perfectæ , tam beatæ ſpei tota devotione animi , toto fervore ſpiritus inhærere ? Si quid illi impoſſibile , ſi quid illi difficile eſt , quære aliud in quo ſperes ; ſed verbo omnia poteſt .* Et ibid. num. 7. F. *Minus enim fugere oportet ; & ſi vel interior magnanimitas exteriores tumultus viriliter ſuſtineret , vel exteriori tranquillitate puſillanimitas propria foveretur :* „ Altiſſimum „ *ait* „ poſuiſti refugium tuum „ *Sæpe illuc fugiamus fratres munitus eſt locus , nullus ibi timetur hoſtis . Utinam magis ſemper ibi manere liceret , ſed non eſt hoc temporis hujus .* Actus autem , & habitus ſpei habent pro ſubjecto immediato , & proximo voluntatem , & pro ſubjecto mediato , ac remoto naturam intellectualem creatam ſecundùm ſe , in beatis tamen in patria neque actus ſpei , circa principale objectum , neque habitus ſpei datur.

III. *Cæterùm adhuc minus eſt* inquit Bernardus ſerm. 3. in annun. B.M.V. num. 3. F. *Et ſi accuſatores refellit hæc veritas , ſed ream nedum abſolvit . Scribat iterum , ſcribat gratiam , legat , & audiamus* [Joannis 8] „ Nemo te con-„ demnavit mulier ? Nemo Domine . Nec ego te condem-„ nabo vade nec amplius noli peccare . „ *O vox miſericordiæ ! O auditus lætitiæ ſalutaris ! auditam fac mihi manè miſericordiam tuam , quia in te ſperavi Domine . Sola nimirùm ſpes apud te miſerationis obtinet locum ; nec oleum miſericordiæ niſi in vaſe fiduciæ ponis .* Adeòque actus ſpei ſtare poteſt in eodem ſubjecto cum quolibet peccato actuali læthali , dummodò excipias infidelitatem , & deſperationem .

IV. Spei actus eſt certus non certitudine extrinſeca , & præſuppoſitiva ex parte actus intellectus , tum certitudine in-

intrinſeca, participata, & ſecundaria ex parte actus voluntatis. Quare S.P.Bern.ſerm.7.in pſal.90.num.1. F. ait *in ſpe vivimus fratres, nec deficimus in tribulatione præſenti, quòd in expectatione ſimus indefectibilium gaudiorum, neque enim vana nobis hæc expectatio, aut dubia ſpes videtur innixa, nimirùm æternæ promiſſionibus veritatis; Deinde etiam ex perceptione præſentium munerum firma eſt expectatio futurorum, & præſentis gratiæ virtus nimis credibiliter atteſtatur fœlicitatem promiſſæ gloriæ ſinè dubio ſecuturam.* Adeòque ſpei certitudo de poſſibilitate rei ſperatæ eſt abſoluta, de futuritione ejuſdem eſt conditionata regulariter loquendo.

V. Aliquis actus ſpei eſt neceſſarius neceſſitate medii; & actus ſpei eſt etiam neceſſarius neceſſitate præcepti tum poſitivi, tum negativi. Etenim ait Melliſl. ſerm.10. in pſal.90.num.1. F. *Nec noſtra eſt, nec nova vobis, ſed nota omninò ſententia in præcipuis quibuſque partibus noſtræ fidei quid non ſit, quàm quid ſit, & ſciri poſſe facilius, & periculoſius ignorari. Idem ſanè etiam ſpei non inconvenienter tribui poſſe videtur. Longè enim facilius mens humana tantorum experta malorum, quibus ſit caritura; quàm quibus perfruitura comprehendit. Nempè germana fidei, ſpeique cognatio eſt, ut quòd illa futurum credit, hæc ſibi incipiat ſperare futurum.* Quare præceptum actus ſpei, ſeu obligatio intrinſeca præcepto ſpei, & directè ab ipſo proveniens datur tum circa initium uſus rationis, tum in fine vitæ, tum ſæpe in vitæ decurſu. Unde habitus ſpei datur in omnibus illis viatoribus, qui poſt primam juſtificationem infidelitate, aut deſperatione non peccarunt; vel qui ante primam juſtificationem, aut poſt commiſſum peccatum infidelitatis, & deſperationis producunt actum ſpei.

VI. Præſumptio non conjuncta infidelitati non deſtruit ſpem; præſumptio verò conjuncta infidelitati, non quidem

Digitized by Google

directè, & ratione ſui, ſed ſolùm indirectè, & ratione infidelitatis deſtruit ſpem; Deſperatio autem oppoſita Spei Theologicæ eſt nolitio beatitudinis procedens ex moleſtia, difficultate, & quadam impoſſibilitate conſecutionis, quod innuit S.P. ſerm.1.in pſal.90.num.2. A. *Sunt autem, & alii qui & deſperant, hi ſcilicet, qui conſiderantes imbecillitatem propriam deficiunt, & obruuntur à puſillanimitate ſpiritus, habitantes in carne ſua, & circà infirmitatem propriam ſemper intenti, ut omnia, quæ patiuntur curſim enumerare parati ſint. Ubi enim intenderis, ingenium valet. In adjutorio autem Dei non habitant neque noverunt illud, quòd nec aſſurgere valeant, nec aliquando cogitent illud. Sunt autem alii, qui ſperant quidem in Domino, ſed fruſtra: quia ſic de miſericordia ejus ſibi ipſis blandiuntur, ut à peccatis ſuis non emendentur. Vana eſt omninò ſpes iſta, & hæc confundit; eo quòd charitas deſit. Contra hos propheta, maledictus inquit, qui peccat in ſpe, & alius, beneplacitum eſt Domino* [Pſal.32.] „ Super timentes eum, & in eis, qui ſpe- „ rant ſuper miſericordia ejus. *Dicturus*, qui ſperant *ſignanter præmiſit*,„ ſuper timentes eum,„ *Fruſtra ſiquidem ſperat, qui contemptu ſuo gratiam à ſe repellit, & ſpem ſuam prorſus evacuat.*

VII. Nulli viatori de lege ordinaria poteſt à Deo revelari ſimpliciter, & abſolutè propria damnatio, ut quiſque in timore incolatus ſui æmuletur chariſmata meliora. Quare ſerm.23.in cant.num.3.F. hunc timorem ſic explicat S.P. *Talibus ergo cùm in præſentiarum parcere, ac miſereri, ne in æternum parcat, cujus judicia abyſſus multa advertitur. Quis hoc loco requiem quærat? Habet hæc viſio tremorem judicii, non ſecuritatem cubiculi. Terribilis eſt locus iſte, & totius expers quietis. Totus inhorrui, ſi quando in eum raptus ſum, illam apud me replicans cum tremore ſententiam, Quis ſcit ſi eſt dignus amore an odio. Nec mirum ſi titubo ego*

ibi

ibi (folium utique quod à vento rapitur, & ſtipula ſicca) ubi & maximus ille contemplator ſuos quoque fatetur penè motos fuiſſe pedes, penè effuſos greſſus. De lege autem extraordinaria, ſeu de potentia abſoluta, poteſt Deus revelare ſimpliciter, & abſolutè cuilibet reprobo etiam exiſtenti in gratia propriam damnationem, quo caſu revelatarius ille non teneretur ſpe theologica propriam beatitudinem ſperare; imò in aliquo ſenſu licitè poſſet deſperare de beatitudinis aſſecutione.

DE CHARITATE.

I. OBjectum materiale primarium, ſeu formale quod, ſeu attributionis Charitatis Theologicæ eſt Deus. Objectum verò materiale ſecundarium eſt quælibet creatura intellectualis capax beatitudinis ſupernaturalis. Objectum verò materiale ſecundarium eſt quælibet creatura intellectualis capax beatitudinis ſupernaturalis. Objectum formale quo, & motivum charitatis theologicæ eſt bonitas divina, & increata Dei Authoris ſupernaturalis, ui in ſe abſolutè, & involvens bonitates, perfectioneſque omnium divinorum prædicatorum. Quod totum innuit. N. Melliſl. Doct. tract. de dillig. Deo cap. 9. num. 26. F. & ſeq. *Amat ergo jam Deum, ſed propter ſe interim adhuc non propter ipſum. Eſt tamen quædam prudentia ſcire qaid ex te, quid ex Dei adjutorio poſſis, & ipſi ſervare te inſenſum, qui te tibi ſervat illæſum. At ſi frequens ingruerit tribulatio, ob quam, & frequens ad Deum converſio fiat, & à Deo æquè frequens liberatio conſequatur, nonne, & ſi fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum toties liberati emolliri neceſſe eſt ad gratiam liberantis, quatenus Deum homo diligat non propter ſe tantùm, ſed & propter*

ipſum. Ex occaſione quippe frequentium neceſſitatum crebris neceſſe eſt interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando guſtari, guſtando probari, quàm ſuavis eſt Dominus.Ità fit ut ad diligendum purè Deum plus jam ipſius guſtata alliciat ſuavitas, quàm urgeat noſtra neceſſitas, ita ut exempli Samaritanorum dicentium mulieri. [Joannis 4.]
„ Jam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim
„ audivimus,& ſcimus quia ipſe eſt verè Salvator Mundi.„
Ita inquam & nos illorum exemplo carnem noſtram alloquentes dicamus meritò, jam non propter tuam neceſſitatem Deum diligimus: Ipſi enim guſtavimus, & ſcimus, quoniam ſuavis eſt Dominus; eſt enim carnis quædam loquela neceſſitas, & beneficia, quæ experiendo probat, geſtiendo renuntiat. Itaque ſic effecto jam de diligendo proximo implere mandatum non erit difficile. Amat quippe veraciter Deum, ac per hoc quæ Dei ſunt. Amat caſtè, & caſto non gravatur obedire mandato, caſtificans magis cor ſuum, ut ſcriptum eſt, in obedientia charitatis. Amat juſtè, & mandatum juſtum libenter amplectitur. Amor iſte meritò gratus, quia gratuitus; caſtus eſt, quia non impenditur verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate; juſtus eſt, quoniam qualis ſuſcipitur, talis & redditur. Qui enim ſic amat, haud ſecus profectò, quàm amatus eſt, amat; quærens & ipſe viciſſim, non quæ ſua ſunt ſed quæ Jeſu Chriſti, quemadmodum ille noſtra, vel potius nos & non ſua quæſivit; ſic amat qui dicit. (Pſal. 117.)
„ Confitemini Domino quoniam bonus „ *qui Domino confitetur non quia ſibi bonus eſt, ſed quoniam bonus eſt; hic verè diligit Deum propter Deum, & non propter ſe ipſum.*
Adeòque Charitas in Deum & charitas in proximum habent unum, & idem objectum formale. Actus autem charitatis, ſeu elicitus in ſe ipſo formaliter, ſeu contentus in actu contritionis eſt neceſſitate medii neceſſarius ad juſtificationem adultorum extrà Sacramentum, & etiam eſt ſimpli-

ci-

citer, & abſolutè neceſſarius omnibus adultis neceſſitate præcepti quoque affirmativi per ſe, & directè obligantis tum circà initium uſus rationis, ſumendo ly *circà* moraliter, ſeu cum aliqua modica latitudine, tum circà finem vitæ, ſeu in mortis periculo, tum ſæpe indeterminatè in vitæ decurſu. Præceptum verò charitatis erga Deum dici poteſt ſub diverſo reſpectu naturale, ſupernaturale, & poſitivum. Actus autem charitatis erga proximum eſt ad ſalutem neceſſarius non quidem neceſſitate medii, ſed neceſſitate præcepti etiam affirmativi obligantis quoque ad benevolentiam internam; & amorem in affectu etiam erga inimicos.

II. In objectis ex charitate dilectis datur ordo non quidem intenſivus, ſed appretiativus dicente Melliſſ. tract. de dilig. Deo cap. 8. num. 25. D. *Ut tamen perfecta juſtitia ſit diligere proximum, Deum in cauſa haberi neceſſe eſt; Alioquin proximum purè diligere quomodo poteſt, qui in Deo non diligit? Porrò in Deo diligere non poteſt, qui Deum non diligit, oportet ergo Deum diligi prius, ut in Deo diligi poſſit & proximus*. Tenemur igitur ex præcepto charitatis appretiativè diligere Deum magis quàm omnia alia, & nos ipſos; nos ipſos magis quàm proximum; proximum conjunctiorem conjunctione carnis, & ſanguinis, quàm reliquos, etiam quoad ſpiritualia regulariter loquendo; quamvis in Patria Beatus ſimpliciter magis diligat conjunctiorem Deo, quàm conjunctiorem ſibi.

III. Subjectum mediatum, & remotum actus, & habitus charitatis eſt natura intellectualis ſecundùm ſe; ſubjectum verò immediatum & proximum eſt voluntas formaliter, quod allegoricè ità exprimit Bernardus ſerm. 77. in cant. num. 5. F. *Illa quærebat ſponſum, & ſponſum non latebat. Nempè qui in hoc ipſum excitaverat eam, ut ſe quæreret, & dederat illi cor ad præcepta, & legem vitæ & diſci-*

Digitized by Google

ſciplinæ, dummodò eſſet, qui inſtrueret, & doceret viam prudentiæ. Et miſit in occurſum ejus plantatores, & rigatores, qui eam enutrirent, & confirmarent in omni certitudine veritatis; hoc eſt indicarent illi, certamque redderent de dilecto; quia veritas eſt quam quærit, & quam verè diligit anima ejus.

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.

I. SA P. Bernardus in Apolog. tract. de baptiſ. c. 5. num. 2. A. inquit *modum deinde illum tam incomprehenſibilem, quem & virgo ſollicita requiſivit. Unde quæſo doceri queam Angelis fuiſſe præcognitum? Mihi verò videtur, ne ipſi quidem (ut pace ejus dixerim) qui nuntiabat, quod & ipſe fatetur ſi ejus verba diligenter advertimus. Reſpondens quippe.* [Luc. 1.] „ Spiritus Sanctus ſuperveniet in te„ *nonne apertè mittit ad magiſterium Spiritus-Sancti cujus unctione doceatur de omnibus, quorum ipſe ſibi non præſumit ſcientiam, & diſcat experiendo, quod audiendo non poterat? Denique ſubjungit* „ & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi „. *expreſſius profectò ſignificans modum ſecretiſſimum arcani incomprehenſibilis, & ineffabilis Sacramenti, quo quaſi in umbra cum ſola, & in ſola virgine ſola Trinitas conceptum fuerat operatura divinum... Porrò autem ſi Diabolus eam nec poſt conceptionem agnovit, Joſephi utique deſponſatione deceptus credi poteſt & Sanctis Angelis vel ante minimè innotuiſſe; quòd ipſa videlicet eſſet Dei Mater futura; ſanè etenim reprobi ſpiritus etſi deſtituti ſunt participatione gratiæ ſpiritualis, non tamen vivacitate induſtriæ naturalis* adeòque in-

intellectus creatus nec poſitivè cognitione certa, & evidenti Divinæ Incarnationis poſſibilitatem, aut futuritionem, nec probabiliter poſitivè ejus exiſtentiam poteſt naturæ viribus cognoſcere, eſtò nulla ratione naturali poſſit ejus impoſſibilitas demonſtrari. Suppoſita tamen revelatione divina naturalis ratio divino fidei lumine poteſt conjecturis, & exemplis Incarnationis myſterium ſuadere, non verò evidenter poſitivè cognoſcere.

II. Verbi Divini Incarnatio fuit maximè conveniens Deo, naturæ humanæ, & toti univerſo; convenientius fuit Filium incarnari quàm Patrem, aut Spiritum-Sanctum, aſſumi naturam humanam quàm Angelicam; pariter convenientius fuit ut aſſumeretur natura humana ex Adami propagine, quàm aliunde formata; dicente Melliſl. ſerm. 2. in annunc. B.M.V. num. 2. D. *Quæro igitur qua ratione Filius magis incarnatus ſit, quàm Pater, aut Spiritus-Sanctus, cùm totius Trinitatis non modò æqualis ſit gloria, ſed una eademque ſubſtantia? Sed quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Altiſſimum eſt Myſterium, nec nos oportet temerè ſuper hujuſcemodi præcipitare ſententiam. Videtur tamen nec Patris, nec Spiritus incarnationem in pluralitate Filiorum effugiſſe confuſionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maximè congruum, ut is ſpecialiter filius fieret, qui Filius erat, ne quid eſſet ambiguitatis in nomine. Denique ipſa eſt Virginis noſtræ gloria ſingularis, & excellens prærogativa Mariæ, quòd Filium unum, eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem, quam ſanè periiſſe conſtat ſi non filius incarnaretur.* Ut fieret autem Mater Dei Beatiſſima virgo ſolùm meruit de congruo. Implicat tamen Chriſtum Dominum potuiſſe mereri etiam de congruo ipſam incarnationem per actus ad eam conſequentes, & quamvis de facto non meruerit continuationem unionis hypoſtaticæ in perpetuum,

po-

Digitized by Google

potuit tamen illam mereri. Imò de facto Chriſtus Dominus non meruit unionem hypoſtaticam per opera naturæ, vel tempore eam præcedentia. SS. autem PP. licèt non meruerint de congruo Incarnationem quantùm ad ſubſtantiam, neque quantùm ad circumſtantias intrinſecas, meruerunt tamen quantùm ad circumſtantias extrinſecas.

III. Tametſi peccatum mortale nec in ratione malitiæ, neque in ratione offenſæ ſit ſimpliciter infinitum, nihilominus pura creatura nequit pro eo ſive proprio, ſive alieno de condigno ſatisfacere. Quapropter Unigenitus Dei Filius Sanguinem totum fudit, ut filios Iſrael cōgregaret in unum, & ad cœleſtem patriam revocaret dicente Melliſl. Epiſt.7. num.11. A. *Non tantùm autem Dominus, ſed & ſanguis ipſius clamore nihilominus vehementi, ſurdis licet terribiliter irrugiebat. Clamor ejus, ejus effuſio; effuſus quippè pro diſperſis filiis Dei ut eos congregaret in unum juſtè fremebat in diſperſores. Odit nimirum diſperſores, qui non novit niſi colligere. Magnus ejus clamor, & vehemens, qui corpora de ſepulchris, animas ab inferis excitavit. Terram cœloſque tuba illa convocavit in unum, quippè quæ in terra, & quæ in cœlis ſunt pacificans.* Satisfactio autem Chriſti fuit de condigno, & ſuperabundans ex ſe ab intrinſeco, & valoris ſimpliciter infiniti in genere moris, & viſibiliter noſtram ſalutem operari cœpit in circumciſione ſanguinem immaculatum fundens. Ita S.Bern. ſerm.2. de Circumc.num.3.D. *Meritò ſanè dum circumciditur puer, qui natus eſt nobis Salvator vocatur; quòd videlicet ex hoc jam cœperit operari ſalutem noſtram immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens. Neque enim jam quærere eſt Chriſtianis cur voluerit Dominus Chriſtus circumcidi; propter hoc ſiquidem circumciſus eſt propter quod natus, propter quod paſſus.*

IV. Verbum Divinum aſſumpſit veram, & integram humanitatem anima rationali ejuſdem ſpeciei cum noſtra, & hu-

& humano corpore ejuſdem naturæ, & rationis cum noſtro conſtantem. Quare docet S. P. ſerm. 34. de div. num. 2. E. *Quoniam enim nullus in cælo paſſionis locus eſſe poterat, vel doloris; propterea ſanè Unigenitus Dei Patris paſſione ſua hominem redempturus, ſicut carnem in qua pateretur (qui pati non poterat in divinitate) ſuſcepit, ſic etiam* [Baruch. 3.] ,, in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt ,, . *Ut humiliaret ſemetipſum in loco afflictionis. Hic ergo turbare ſe, pavere quoque dignatus eſt, & tædere, tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. In terra inquam verè lacrymatus eſt Jeſus, verè contriſtatus, verè paſſus, verè mortuus, verè ſepultus.* Adeòque licèt Chriſtus non aſſumpſerit privatos hominis defectus, ut ſunt infirmitates, lepra &c. nec defectum deformitatis; & etiam quatenus homo nullo prorſus ignorantiæ genere laboraverit; tamen fuerunt in Chriſto paſſiones humanæ, licèt non cum ea imperfectione, qua ſunt in hominibus; & etiam fuit in Chriſto triſtitia, non in parte ſuperiori animæ præcisè, ſed quatenus eſt colligata appetitui ſenſitivo. Imò, & in Chriſto fuerunt paſſiones timoris, & iræ. Si autem quæras an Adamo non peccante adhuc Verbum Divinum ex vi præſentis decreti carnem aſſumpſiſſet reſpondebimus affirmativè.

V. Unio hypoſtatica, quæ eſt modus ſubſtantialis ſupernaturalis realiter ab extremis diſtinctus, non eſt facta in unitate naturæ, nec immediatè in aliquo abſoluto, ſed in perſonalitate relativa Verbi. Hæc autem unio hypoſtatica eſt immediata per excluſionem omnis medii extrinſeci, & eſt omnium unionum maxima, non ex parte extremorum unitorum, ſed ratione vinculi, ſeu ſuppoſiti Verbi per quòd naturæ illæ invicem ſociantur. Hinc perſona Chriſti verè dicitur compoſita non tamen rigoroſa, & propriè dicta compoſitione. Terminus autem totalis, & adæquatus actionis unitivæ Verbi cum humanitate eſt Chriſtus, ſeu

Digitized by Google

Deus, ut homo. Quod totum innuit Doct. Melliſl. ſer.3. in vig. Nativ. Dom. num.8. F. *Voluit quoque infirmiora noſtra abundantiori gloria ſublimare; & contraxit ſe Majeſtas, ut quod melius habebat videlicet ſe ipſum limo noſtro conjungeret, & in perſona ſibi invicem unirentur Deus, & limus, Majeſtas, & infirmitas, tanta vilitas, & ſublimitas tanta. Nihil enim Deo ſublimius, nil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaque dignitate limus aſcendit in Deum, ut quidquid Deus fecit, limus feciſſe credatur, quidquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur. Et attende, quia ſicut in illa ſingulari divinitate Trinitas eſt in perſonis, unitas in ſubſtantia, ſic in iſta ſpeciali commixtione Trinitas eſt in ſubſtantiis, in perſona unitas; & ſicut ibi perſonæ non ſcindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem; ita & hìc perſona non confundit ſubſtantias, nec ſubſtantiæ ipſæ perſonæ diſſipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus ſingulare inter omnia; & ſuper omnia opera ſua; Verbum enim, & Anima, & Caro in unam convenere perſonam, & hæc tria unum, & hoc unum tria non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Eſt autem tum de fide ſanctum, tum etiam eſt doctrina Melliſl. ex textu allato dari in Chriſto communicationem Idiomatum, per quam tamen attributa divina non conveniunt humanitati formaliter, nec humana Divinitati.

VI. Verè & propriè Chriſtus meruit à primo inſtanti ſuæ conceptionis uſque ad inſtās mortis, unde hortatur Melliſl. ad habendam fiduciam, & ſpem ponendam in Chriſto ſerm.15. in pſal.90. nu.5. C. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & utique vita in voluntate ejus, & in beneplacito ejus ſalus æterna.* „ Quoniam in me ſperavit liberabo eum „. *Dulciſſimâ liberalitas in ſe ſperantibus non deeſſe. Hoc enim totum hominis meritum: ſi totam ſpem ſuam*

ponat

Digitized by Google

ponat in eo, qui totum hominem ſalvum fecit. Multiplex autem fuit Chriſti meritum ſecundùm multiplicitatem actuum diverſarum virtutum, quos elicuit. De facto etiam meruit Chriſtus ſui corporis gloriam, & ſui nominis exaltationem; non tamen ſibi meruit, nec de potentia ordinaria mereri potuit gratiam ſanctificantem,& gloriam animę ſuæ, etſi de potentia extraordinaria utramque mereri potuerit. Quòd ſi humanitas Chriſti de potentia Dei abſoluta fuiſſet prius tempore, aut natura, aſſumpta ab alia Perſona divina potuiſſet etiam mereri de condigno unionem cum Verbo; præſcindendo verò à tali unione de potentia abſoluta humanitas Chriſti potuiſſet per opera tempore, vel natura præcedentia,unionem cum Verbo mereri dumtaxat de congruo. Nobis verò Chriſtus meruit non ſolùm gratiam primam, & ſecundam, quibus juſtificamur, ſed etiam liberationem à culpa, & pœna, necnon reſerationem januæ cœleſtis, & introductionem in Paradiſum. Item meruit tum per actus portionis inferioris, & aliarum virtutum à charitate diſtinctarum, tum per actus charitatis non ſolùm erga proximum, ſed etiam erga Deum.

VII. *Quam benè ea mulier fermentavit* ait Mell. lib.5. de conſid. cap.10. num.22. C. *ut nec diviſione quidem facta carnis, & animæ à carne, vel anima Verbum divideretur; manſit & in ſeparatione inſeparabilis unitas. Nec enim quæ ex parte contingit ſeparatio potuit unitati præſcribere permanenti in totis tribus; ſive conjunctis, ſive disjunctis nihilominus perſeveravit in tribus unitas perſonalis; atque unus Chriſtus, unaque perſona Verbum, anima, & caro perduravit*. Quare Verbum Divinum in morte Chriſti non fuit ſeparatum ab anima, vel corpore ipſius. Verbum autem Divinum ordine intentionis prius aſſumpſit humanitatem, quàm ejus partes, & prius animam, quàm corpus; ordine tamen executionis prius intelliguntur partes aſſum-

ptæ, quàm tota humanitas, & prius corpus, quàm anima. Pariter partes humanitatis prius intelliguntur unitæ Verbo, quàm inter ſe. Unio tandem animæ cum corpore tantùm mediatè aſſumpta fuit à Verbo.

VIII. S. Bernardus hom.4. ſup. miſſus eſt num.5. E. *Quod* inquit *Virgo genuit ſanctum proculdubio ac ſingulariter ſanctum fuit & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem*. Quare Humanitas Chriſti Domini fuit ſancta ſanctitate ſubſtantiali immediatè per perſonalitatem Verbi, & etiam Chriſtus Dominus habuit ſummam gratiam habitualem ejuſdem rationis cum noſtra phyſicè quidem finitam, moraliter verò infinitam.

IX. Anima Chriſti habuit intuitivam Dei viſionem ab inſtanti ſuæ conceptionis perfectam quidem, non tamen comprehenſivam, & per hanc Chriſtus cognoſcit omnia poſſibilia, præterita, præſentia, & futura. Fuit etiam in Chriſto ſcientia infuſa præſtantior ſcientia Angelorum ſecundùm ſe omninò independens à phantaſmatibus; per iſtam Chriſtus cognoſcit omnes res naturales præteritas, præſentes, & futuras, & ſecreta cordium, & etiam myſteria divina, puta Deum ut Unum, & Trinum nedum quoad quæſtionem *an ſit*, verùm etiam quoad quæſtionem *quid ſit*. Et inſuper omnia entia per ſe ſupernaturalia. Admittimus etiam in Chriſto ſcientiam acquiſitam, & experimentalem teſte Melliſl. ſerm.56. in cant. num.1. C. *Humanis ergo affectionibus, ſenſibuſque corporeis pro foraminibus uſus eſt, & feneſtris, ut miſerias hominum homo factus experimento ſciret, & miſericors fieret. Sciebat & ante, ſed aliter; ſciebat denique virtutem obediendi ipſe Dominus virtutum, & tamen teſte Apoſtolo didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam. In hunc modum, & miſericordiam didicit, etſi Miſericordia Domini ab æterno. Docet hoc quoque idem Doctor gentium ubi eum aſſerit tentatum per omnia pro ſimilitudine*

ab-

Digitized by Google

abſque peccato ut miſericors fieret. Videſne factum eſſe quod erat, & quod non erat didiciſſe? Adeòque licèt probabilius ſit Chriſtum noviſſe quidditates rerum naturalium ab inſtanti ſuæ conceptionis per habitum ſibi infuſum nihilominus aliqua de novo potuit cognoſcere intuitivè, & experimentaliter, tamen nihil umquam Chriſtus Dominus didicit ab Angelis, aut hominibus.

X. Chriſtus Dominus fuit omninò impeccabilis tum ex viſione beata, tum ex unione hypoſtatica, ut docet Melliſl. ſerm.33. de div. num.3. B. *Erat enim innocens manibus, qui peccatum non fecit, ſed multa bona operatus Judæis liberè ajebat* [Joan.8.] „ Quis ex vobit arguet me de peccato „. *An verò mundiſſimum cor fuiſſe quis dubitat unitum perſonaliter ſapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit; attingit autem ubique propter ſuam munditiam.*

XI. Fuit Chriſto impoſitum præceptum moriendi propriè, & ſtrictè dictum antecedenter ad ejus voluntatem, & acceptationem, quare S.Bern.tract. de Offic. Epiſc. de obedientia Chriſti diſſerens, ait, *ille ſiquidem dedit vitam ne perderet obedientiam*. Non rectè autem ſalvatur libertas Chriſti, & ejus meritum in executione præcepti ſibi impoſiti moriendi, dicendo, quod licet Chriſtus non fuerit liber ad mortem ſecundùm gradum genericum, fuit tamen ſecundùm gradum ſpecificum, & individualem, nec per hoc quòd poterat petere diſpenſationem mortis à Patre. Idcircò autem Chriſtus liberè fuit mortuus, quia licet non potuerit non mori in ſenſu compoſito cum præcepto obligante ad mortem, benè tamen id potuit in ſenſu diviſo, ut expreſsè docet N. S. D. tract. de grat. & lib. arbit. cap.3. num.8. F. *Solus namque inter filios Adam libertatem ſibi vindicat à peccato, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Porrò & à miſeria, quæ eſt pæna peccati habuit nihilominus libertatem, ſed potentia, non actu. Nemo quip-*

pe

Digitized by Google

pe tollebat animam ejus ab eo, ſed ipſe ponebat eam. Denique teſte propheta [Iſa.53.] ,, oblatus eſt quia ipſe voluit ,,.

XII. Chriſtus ut homo non eſt abſolutè dicendus Filius Dei adoptivus, ſed verè eſt Dei Filius naturalis. Dicente Melliſl. ſerm.1. in Epiph. Dom. nu.7. C. *Ecce Domine Jeſu vel jam nunc loquere. Quouſque ſiles? Quouſque diſſimulas? Diù tacuiſti, & valde diu: ſed jam nunc loquendi licentiam habes à Patre. Quamdiù Dei virtus, & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis, & inſipiens lates in populo? Quamdiù nobilis Rex, & Rex cœli fabri filium pateris appellari pariter & putari.*

XIII. Chriſtus non conſtituitur formaliter Eccleſiæ caput per gratiam unionis, nec per gratiam habitualem diviſim, aut conjunctìm. Sed per poteſtatem, quam Deus illi contulit in omnes Angelos, & homines. Quare Chriſtus de facto eſt actu caput Angelorum, Beatorum, omnium viatorum fidelium, tam juſtorum, quàm peccatorum. Potentia verò dumtaxat caput infidelium. Teſte Melliſl.ſerm.73. in cant. num.9. B. *Quid dico abſque Majeſtatis injuria, quando nec infirmitas inhonorata remanſit? Hinnulus eſt, parvulus eſt, capreæ quoque ſimilis perhibetur, tamquam factus ex muliere; attamen ſuper montes Bethel; attamen excelſior cœlis factus. Non dicit excelſior cœlis ens, vel exiſtens, ſed excelſior cœlis factus, ne quis putet de illa natura dictum in qua eſt, qui eſt. Sed, & ubi præfertur Angelis melior, nihilominus perhibetur effectus & non dicitur, manens, vel exiſtens melior. Ex quibus apparet, quòd non modo in eo, quod ab æterno eſt, ſed etiam in eo, quòd in tempore factus eſt, omnem ſibi eminentiam vindicet, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, ſupra omnem denique creaturam, utpotè primogenitus omnis creaturæ.*

Digitized by Google

ASSERTA POLEMICA.

DE VERBO DEI Scripto, & Tradito.

I. QUAMVIS Martinus Lutherus tum lib. de Eccl., tum in colloq. latin. tom. 2. cap. de Bibl., & Joannes Calvinus ad caput 4. Lucæ aſſeverare non erubeſcant Sacram Scripturam apud Romanam Eccleſiam non extare; tamen extra dubium eſt, certiſſimèque conſtat, dari in Orthodoxa Eccleſia Verbum Dei ſcriptum, quod viri ſanctitate inſignes nobis reliquerunt, & Eccleſia in canonem recepit; ſcribi namque ea quæ ſunt fidei, fuit neceſſarium non quidem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſeu convenientiſſimum, & utiliſſimum.

II. Græca ſeptuaginta Interpretum translatio aliis Græcis verſionibus præferenda eſt, fruſtra reclamantibus Aquila ex Chriſtiano Judæo proſelyto, & Sebaſtiano Munſtèro in Bibliis hebraicis, Hæreticis Innominatis, & Martino Luthero ad caput 46. Geneſis. Sanctus autem Hieronymus novum teſtamentum Græcæ fidei reddidit, & Vetus juxta hebraicam tranſtulit. Hinc eſt, quòd nec fuit, nec dari potuit verſio alia eſſentialiter perfectior noſtra vulgata, quæ compa-

pa-

Digitized by Google

parata cæteris latinis editionibus eſt illis præferenda tamquam omnium perfectiſſima, licèt in aliis editionibus latinis, quædam elegantius, vel ſignificantius, vel etiam clarius translata reperiantur.

III. Ex Sacræ Scripturæ libris alii ſunt Protocanonici, quos ſemper orthodoxa in canonem recepit Eccleſia, & ſunt, quinque libri Moyſis, Joſue, Judicum, Ruth, Regum libri quatuor, Eſdræ libri duo, Job, Pſalterium CL. Pſalmorum, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Iſaias, Jeremias cum Thrænis, Ezechiel, Daniel, Prophetæ duodecim, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. Actus Apoſtolorum, Epiſtola ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum prima, & ſecunda, ad Titum, ad Philemonem, prima Epiſtola Petri, & prima Joannis; Deuterocanonici autem libri, quos Eccleſia non ſtatim, ſed cum aliquali contradictione, & paulatim recepit ſunt Eſther, Tobias, Judith, Baruch, Jeremiæ Epiſtola, Sapientia, Eccleſiaſticus, additio Danielis, ſcilicet Oratio Azariæ, Hymnus trium puerorum, Suſannæ hiſtoria, & Belis. Machabeorum libri duo, Marci caput ultimum, hiſtoria de Chriſti agonia, & Angeli confortatione, hiſtoria Joannis de Muliere adultera, Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi, Epiſtola Petri ſecunda, Epiſtola ſecunda, & tertia Jonnnis, Epiſtola Judæ, Apocalypſis. Hi omnes libri ſivè Protocanonici, ſivè Deuterocanonici ſint recipi debent contra Martinum Lutherum inter apocrypha Deuterocanonicas Scripturas recenſentem; Confeſſionem Witembergenſem cap. de ſcript., Joannem Brentium in apologia pro confeſſ. Witemberg., Joannem Calvinum Guillelmum Witakerum & alios ſacramentarios, qui vel omnes Deuterocanonicos, vel aliquos libros, vel aliquam alicujus partem recipere nolunt.

IV. Scripta Moyſis ſummæ ſunt authoritatis, & à Sanctis

ctis Patribus legis ſcriptæ maximoperè obſervata, contra Nazaræos. In illis omnia quæ continentur (quod, & de reliquis Scripturæ libris aſſeveramus) à Spiritu Sancto de verbo, ad verbum dictata fuere, adversùs Ptolemaitas; non autem ex inſpiratione mali genii, ut docebant Fauſtus cum Manichæis, Albigenſes, & Bogomili; adeoque nihil in his impoſſibile, vel hyperbolicum continetur contra Apellem. Quare quæ de Eva, Adamo, & Serpente narrantur vera ſunt, & non mera Moyſis inventa, ut ſomniavit impius Apoſtata Julianus. Moyſes autem non ſolùm pro utilitate, & commodo Judaici populi Pentatheucum ſcripſit, verùm etiam in bonum & commodum Chriſtianorum, contra Martinum Lutherum.

V. Job hiſtoriam veram eſſe, & authenticam de fide credimus, & authoritatibus propugnamus, contra Judæos in Thalmud ord.4.tract.3.Martinum Lutherum, & Anabaptiſtas. Idem affirmamus de Salomonis Eccleſiaſte contra Hæreticos innominatos, & Judæos quoſdam, qui temerè dixerunt Salomonem illis verbis *nihil ſub ſole novum* Mundi æternitatem indigitaſſe, & Martinum Lutherum, qui teſte Henrico Petro Rebenſtock lib.2. de colloq. latin. Lutheri cap.de veteri teſtamento dicere ſolebat *His liber . . . . . nullam habet perfectam ſententiam, equitat in arundine longo ſicut ego dum eſſem Monachus in Monaſterio*. Canticum autem Canticorum non eſt cantus impuri amoris Salomonis vel cum filia Pharaonis, vel cum Abiſai Sunamitide, ut dicebant Hæretici innominati, neque ibi ſermo eſt de quadam Sulamitha Salomonis amica, ut erat opinio Sebaſtiani Caſtalio, neque familiare colloquium inter Rempublicam Judæorum Salomonem invitantem ad regnandum ſuper eam, ut volebat Lutherus, ſed liber eſt canonicus, authenticus, & ad Eccleſiæ dogmata confirmanda perutilis, & quæ in eo dicuntur ſpiritualiter intelligenda ſunt. Ejuſdem ordinis

Digitized by Google

eſt liber Sapientiæ contra Martinum Lutherum inter apocrypha hunc librum reponentem unà cum Guillelmo Witakero, & Calvino falſum eſſe librum contendente. Licèt autem circa librum Eſther dubium aliquod habuerint Melitho Sardenſis, Athanaſius, Amphilochius, Gregorius Nazianzenus, Junilius Africanus, & Hieronymus quoad ſeptem poſtrema capita, adhuc tamen canonicum eſſe librum conſtat tum ex Patribus, tum etiam ex Sacro Concilio Tridentino, negantibus Martino Luthero & Joanne Brentio. Qui Lutherus dum negavit librum Baruch, quem nos canonicum eſſe fatemur ſocios habuit Huldaricum Zuinglium, Petrum Palladium, Franciſcum David, & Guillelmum Witakerum, idem ſentientibus Luthero, Brentio, & Witakero de libro Judith. Liber autem Tobiæ non eſt Comædia, vel fabula, ut ſomniavit Lutherus, neque ſuperſtitioſum quid redolens ut blaterabat Witakerus, ſed verè ut canonicum librum illum amplectimur; Qui duo, licèt excludant Hymnum trium puerorum, quod etiam faciunt Eraſmus Roterodamus, & Judæi, tamen Conciliorum authoritas, & Eccleſiæ praxis eum canonicum eſſe ſatis oſtendunt. Pariter Canon Hebræorum, etſi careat hiſtoria Suſannæ, tamen vera, & canonica hiſtoria eſt, eam ſolummodò negantibus Julio Africano, Eraſmo, Luthero, Brentio, & Witakero, idem ſentientibus de hiſtoria Belis Draconis, & Habacuch. Quamvis autem Hieronymus olim autumaverit librum Eccleſiaſtici non eſſe ſufficientem ad confirmanda Eccleſiaſtica dogmata; tamen vel ex ipſis ſacris litteris Hieronymi dubium reſolvitur, ut patet etiam ex Epiſt. Hieronymi 33. Machabæorum autem libri, neque nimis judaizant, neque Gentilium ſuperſtitionem ſapiunt, ut dictitabat Lutherus, neque non plus probant, quàm Æſopi fabulæ, ut opinabatur Zuinglius, neque Apocryphi ſunt, ut Bernardinus Ochinus propugnabat, neque in iis eſt humanus ſpiritus, &

præ-

præciſè humana hiſtoria, ut dicebat Witakerus ſed verè canonici ſunt, & Spiritus Sancti magiſterio conſcripti.

VI. Apoſtoli Chriſto reſurgente, & aſcendente in cœlum, miſſo Sancto Spiritu, collato dono linguarum, adhuc in uno poſiti Symbolum, quod fidelis nunc tenet Eccleſia, unuſquiſque quod ſenſit dicendo condiderunt, & hanc regulam per orbem terrarum diffuſi tradiderunt repugnantibus Waldenſibns, Eraſmo, Calvino, & Servetianis in Tranſilvania.

VII. Sacræ Scripturæ ſenſus non eſt ex ſe tàm apertus, & perſpicuus, ut obſcuritatem, & tenebras nullatenus includat, contra Lutherum, Ochinum, & Brentium obvium omnibus, & patentem Sacræ Scripturæ ſenſum exponentes, & per hoc materno cujuſque idiomate legi poſſe, & debere effutientes. Hinc fit, quòd cùm Sacra Scriptura de ſe obſcura ſit, interpretatione egeat, quod ſine judice controverſiarum fidei fieri haud umquam potuit; hic autem judex non eſt ſola ipſa Scriptura, ut pro libito à quolibet privato homine explicatur; ſed judex controverſiarum fidei eſt Eccleſia, vel Romanus, ſcilicet, Pontifex ex cathedra loquens, vel Concilium authoritate Pontificia legitimè congregatum; quod totum eſt diverſum, & oppoſitum impiæ doctrinæ Lutheri, Philippi Melanthonis, Calvini, & Martini Kemnitii. Duos autem ſaltem ſenſus in Sacra Scriptura reperiri de fide eſt. Unus, videlicet, litteralis, ſeu hiſtoricus alter ſpiritualis, ſeu myſticus; accommodatitium autem ſenſum omninò expungimus.

VIII. Sadducæi olim non recipiebant aliud præter legem, adeòque Patrum traditiones ejiciebant, quos ſequi videbantur Ariani, qui ideò Filium Patri conſubſtantialem negabant, quia in ſacris paginis vox iſta conſubſtantialis non extabat, quod Semi--Arianis, Maximino, & Paſcentio Arianis commune fuit. Huic ſententiæ deinde nomen de-

dere Pelagiani, Neſtoriani, Eutyches, Jacobitæ, Henricus Toloſanus, Petrus Abaelardus, Wicleffus, Piccardi cum Hermanno Riwich, quem errorem, ut impietatis dogmata tutarentur recipere non erubuerunt Lutherus, Zuinglius, Joannes Pomeranus, Volfangus Muſculus, Petrus Martyr, Laurentius Humfredus, Joannes Sommerus; contra quos omnes cum Eccleſia Catholica dicimus, quòd datur Sacra Traditio, Verbum ſcilicet Dei non ſcriptum, ſed hominum memoriæ commendatum; & hæc Traditio alia eſt Divina, alia Apoſtolica, alia Eccleſiaſtica. Hujuſcemodi autem Traditionis neceſſitas tanta eſt, ut ſcripturæ ſine traditionibus non fuiſſent ſufficientes; & etiam addimus traditiones Apoſtolicas reperiri, quæ non ſolùm de moribus, verùm etiam & de fide plurima dictant; quæ traditiones Apoſtolicæ maximè à Romana Eccleſia petendæ ſunt.

DE CHRISTO DEO, ET HOMINE.

I. UBi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, qui cùm in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, ut mediator Dei, & hominum eſſet homo Chriſtus Jeſus; adeòque Dei Filium ex Maria Virgine veram carnem ſuſcepiſſe contra Saturninum, Valentinum, Marcionem, & Cerdonem, Apellem, Bogomilos, novos Manichæos, Albanenſes, Anabapriſtas, Gaſparem Svenckfeldium, & Fratres familiæ Amoris Londini ſuſtinemus. Verum fuiſſe hominem contra Manichæos,

Apol-

Digitized by Google

Apollinarem, Fortunatum, Felicem, Fauſtum, & Secundinum propugnamus; corpore & anima conſtantem adverſùs Valentinum, Marcionem, Cerdonem, Apellem, Priſcillianiſtas confitemur. Verè paſſum contra Baſilidem, Manichæos, Aphthardocitas, quibus adhæſiſſe videtur Juſtinianus Imperator ex teſtimonio Anaſtaſii Antiocheni, Evagrii, & Nicephori adoramus. Verè mortuum eſſe contra Mahumetem, & reliquos ſupra allatos ſanctè catholicèque fatemur.

II. Chriſtum nudum, & purum fuiſſe hominem aſſeruit olim Paulus Samoſatenus, & unam in Chriſto ponens naturam aſſeclam habuit Joannem Sommerum, cum Eutychete, Acephalis, Monophyſitis, ac Monothelitis, à qua impia ſententia dum refugere conatur Lullius tres ponens in Chriſto naturas divinam, ſcilicet, animam rationalem, & corpus, ulterius addit quòd natura divina, æquè ac natura humana in paſſione dolores ſentiebat. Ex oppoſito Cherintus ſeparando Jeſum à Chriſto duas in ipſo perſonas conſtituere eſt auſus, quam opinionem amplectens Neſtorius unà cum Anaſtaſio, & Theodoro Mopſveſteno eam propagavit docendo Virginem Mariam verè Deiparam purum hominem peperiſſe; quibus adhæſit Calvinus, dum in Chriſto duas collocavit perſonas, unam ſcilicet Dei, & Mediatoris, ſeu hominis alteram. Contra quos cum Catholica Eccleſia propugnamus Chriſtum Jeſum una conſtare perſona, duabus naturis divina, & humana inter ſe conjunctis quidem, non antem confuſis, & commixtis, ut docuere Polemius, Eutyches, Armeni, & Gaſpar Swenckfeldius, itaut ſalvæ ſemper remaneant cujuſque naturæ proprietates, perperàm reclamantibus Acephalis, Monophyſitis, Monothelitis, Brentio, Jacobo Andreæ, Martino Kemnitio, Theodoro Beza.

III. Chriſtus Dominus in illarum duarum naturarum con-

Digitized by Google

conjunctione omnia novit, nec ullius ignorantiæ vitio laboravit aliter ſentientibus Gnoſticis, Celſo, Arianis, Theodoreto, Agnoitis, quibus adhæſit Martinus Lutherus, Huldaricus Zuinglius, Franciſcus Lambertus, Martinus Bucerus, Joannes Calvinus, Carolus Molinæus, Nicolaus Gallaſius, Nathanael Ælianus.

IV. *Arenam, & ſalem, & maſſam ferri faciliùs eſt ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium* [Eccl. 22.] effatum eſt Spiritus Sancti, experimento comprobatum in putidiſſima, & prorſus intolerabili Primogeniti Diaboli Marcionis opinione. Impius enim iſte dum negavit Abelem, Noe, Abraham, reliquoſve Patriarchas, & Juſtos deſcenſu Chriſti ab inferis liberatos, docuit Cainum, Nembroth, Sodomitas, omneſque impios & alios mores feros, immanemque naturam præſeferentes ab inferorum pœnis erutos. Sed nihil mirum, [1. Reg. 24.] *Ab impiis egredietur impietas*. Quare illud idem, quod Marcion, docuere Innominati, hoc ſolo dumtaxat poſito diſcrimine, quòd hi nedum impii, verùm & juſti dummodò Chriſto libertatem annuncianti crediderint, per ejus deſcenſum, & prædicationem ſalvi facti fuere. Quapropter ſuſtinemus in veteri lege Sanctorum Animas licèt in loco refrigerii, tamen in Limbo inferorum fuiſſe, contra Eraſmum Roterodamum, Huldericum Zuinglium, Henricum Bullingerum, Joannem Calvinum, Auguſtinum Marloratum, Theodorum Beza, Eraſmum Sarcerium, Gaſparem Olevianum, Benedictum Aretium, qui omnes vel directè, vel indirectè Limbum PP. negare videntur. Et etiam propugnamus Chriſti animam, in cruce, morte à corpore ſeparatam verè ad inferos deſcendiſſe contra eoſdem, & Chriſtolytas, qui Chriſtum Dominum ab inferis redeuntem, anima, & corpore ibi relictis, ſola divinitate ad ſuperos aſcendiſſe contendunt, & contra Theologos Wittembergenſes dicentes quòd tota perſona

ſona Deus, & homo poſt ſepulturam deſcenderit ad inferos. Eo autem deſcenſu anima Chriſti nihil paſſa eſt adversùs Lutherum, Brentium, Calvinum, & Gaſparem Olevianum. Poſtremò ab umbra mortis, & tenebris ſolummodò Sanctorum animas, nequaquam autem impiorum ſua viſitatione liberavit.

V. Chriſtum Jeſum verè ad cœlos aſcendiſſe non Deitate, ſed corpore redivivo, & glorioſo catholicum eſt credere, hoc evincentibus ſacrarum paginarum monumentis. Quare impia vel Carpocratis ſententia aſſerentis Chriſtum anima dumtaxat cœlum conſcendiſſe, vel Apellis Chriſtum ſinè carne rexurexiſſe, & ſinè eadem ad cælos aſcendiſſe effutientis omninò reſpuitur. His aſſenſum præbuere novi Manichæi in Italia dictitantes Chriſto omnia in ſimilitudinem ita contigiſſe, ut Chriſtus nequaquàm vera carne, & humano corpore in cœlum aſcenderit. Hinc numquam audiendi ſunt Innominati, & Manichæi, qui non rectè cogitantes perperàm intellexerunt illud Davidicum [Pſal. 18.] *In ſole poſuit tabernaculum ſuum* ſic explicantes, ut Chriſtus aſcendens in cœlum in ſolari diſco carnem depoſuerit, & cum ſola divinitate cœleſtia petierit. Unde nil mirum ſi poſtmodùm Coterelli dicere auſi ſint Chriſti corpus non eſſe in cœlo glorificatum, ſed poſt diem Judicii putridum cadaver fore. Locus autem ille, qui à nobis cœlum Empyreum vocatur, ubi humanitas Chriſti glorioſa exultat, eſtque Beatorum omnium ſedes eſt verè locus realis ſupra firmamentum exiſtens, non autem merè idealis, vel ſpiritualis, vel ipſa Divina majeſtas præcisè, oppoſitum ſomniantibus Brentio, Matthia Flacco, Illyrico, Joachim Weſphalo, & Nicolao Selneccero.

VI. Chriſtus languores noſtros verè tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, vulneratus propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra, cujus livore ſanati ſumus,

ut

Digitized by Google

ut meritò Jeſus vocatus ſit, quia ſalvum fecit populum ſuum à peccatis eorum; per ipſum utique genus humanum obtinuit redemptionem. Quare mentitur Baſſus aſſerens ſperari ſalutem à Chriſto non poſſe. Mentiuntur Helcheſeitæ, qui librum ab ipſis conſcriptum tamquam à cœlo delapſum plebi proponebant dogmatizantes eos, qui in eum librum crederent ſalutem aſſecuturos, ab ea tamen diverſam, quam per Chriſtum obtinemus. Chriſtus ergo Jeſus Dei Filius eſt unicus humani generis Salvator; contra Pſeudoapoſtolos apud Coloſſenſes dicentes Filium Dei non eſſe ſalutis authorem; idem ſentientibus Alexandro Hymeneo, & Menandro, qui poſtremus ulterius addebat ſe fuiſſe miſſum pro hominum ſalute; quibus acceſſit Hermannus Riſwich dum docuit Chriſtum univerſum Mundum damnaſſe, & neminem ſalvaſſe. A qua opinione diſcedere non videntur Lutherus, Andreas Oſeander, Franciſcus Sankarus, Carolus Molinæus, Joannes Calvinus, etſi non tam apertè loquantur, ſicuti Hermannus loquitur. Item Chriſtus ſua Incarnatione, obedientia, Paſſione, morte, pro omnium omninò hominum peccatis ſatisfecit contra Boquinum, Pincerium, & Clebitium dicentes Chriſtum non eſſe pro omnibus hominum peccatis mortuum, ſed tantummodò pro fidelibus, & piis; & etiam contra Hieronymum Zanchum ſcribentem hæc verba *Sanguis Chriſti non eſt ſecundùm propoſitum Dei, & re ipſa pro improbis & incredulis effuſus, ſed tantùm pro quibuſdam multis, hoc eſt electis, & quidem pro omnibus iſtis multis*. In qua ſententia fuerunt etiam Simon Simonius, Benedictus Aretius, Franciſcus Blandratus, Franciſcus Davidis, Nathanael Ælianus, Fratres de familia Amoris, & Chriſtianus Francus quæ ſententia noviſſimè tradita fuit à Janſenio in quinta propoſitione, in qua legitur *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*.

San-

Digitized by Google

VII. Sanctè, & Religiosè colenda ſunt ſolemnia Redemptoris Noſtri, Conceptionis videlicet, Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſſionis, Reſurrectionis, & etiã Pentecoſtes, ſeu Spiritus Sancti adventus. Unde jure optimo impugnandi ſunt Manichæi, Aeriani, Petrobruſiani, Lollardi, Guillelmus Albus, Martinus Lutherus, Andreas Caroloſtadius, Sebaſtianus Francus, & Lambertus Danæus, qui revocare conantur vel omnes, vel aliquos dies feſtos à Chriſtianorum ritibus. Neque ſolummodò Dies feſtivi ad recolenda ſacra noſtræ Religionis Myſteria celebrandi ſunt, ſed etiam vera Crux in qua ſalus noſtra pependit, & ſingulæ illius particulæ adorandæ ſunt adoratione Latriæ reſpectiva; imò crucis Chriſti ſignum ſolùm etiam fidelium manù expreſſum Dæmonibus timorem incutit, hominibus ſalutem affert, contra Julianum Apoſtatam, Meſſalianos, Mahumettanos. Neque enim cruces ſic efformare Magia eſt, ut volebat Brentius, neque à Montaniſtis principium habuit, ut Magdeburgenſes confingunt, ſed pietas eſt Chriſtiana Apoſtolica traditione firmata.

VIII. Sanctiſſima Dei Genitrix Virgo Maria, verè Deipara fuit, manſitque Virgo ante partum, in partu, & poſt partum. Non enim erat impoſſibile apud Deum omne verbum, etſi Beatiſſimæ Dei Matris Virginitas impoſſibilis viſa fuerit Cherinto, & Marcioni. Unde Carpocrates autumavit Chriſtum humanam naturam ex ſemine Joſeph, & Mariæ accepiſſe. Cui adhærere ducimus Origenem, qui homil. 14. in Lucam docuit Sanctiſſimam Deiparam poſt partum purgatione indiguiſſe. Ulteriùs etiam perpetuam Dei Genitricis virginitatem impugnavit Apoſtata Julianus, & etiam Helvidiani, ſeu Antidicomarianitæ, qui dixerunt Sanctiſſimã Dei Matrem poſt Chriſti nativitatem Joſepho copulatam, ex eo filios genuiſſe, qui poſtmodùm Fratres Domini nuncupati ſunt, quod & Pauliciani, & Lucas Stembergius, unà cum Calvino arbitrati ſunt.

Digitized by Google

DE ROMANO PONTIFICE.

I. HOmo quamvis libero exornatus arbitrio obedire Superioribus, & Poteſtatibus tenetur contra Creſconium, Lutherum, & Thomam Monetarium. Dominium autem in ſubditos non deperdunt Principes dum læthali culpa contaminati exiſtunt, oppoſitum docentibus Wicleffo, & Joanne Galleco, habent etiam Principes gladium ad vindictam malorum, & ad tutelam bonorum, reclamantibus Waldenſibus, qui nullum præcipuè inter Chriſtianos judicium ſanguinis admittunt; quod quidem ſanguinis judicium eſſe Chriſtianis licitum fruſtra contendunt unà cùm Luthero Anabaptiſtæ. Imò Laici laico Principi vectigalia, tributa, gabellas perſolvere tenentur contrarium ſentientibus Libertinis, Joanne Behaim, & Petro Kelſicenſi. Dominium autem Monarchicum ſimplici Ariſtocratia, & Democratia, & ſecluſis circumſtantiis Dominio mixto Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia præſtantius eſt contra Huldaricum Zuinglium, Martinum Bucerum, Joannem Calvinum, & Hieronymum Wolfium, facilè autem Dominii Monarchici præſtantia evincetur ex eo, quòd ab orbe condito uſque ad præſentem Pontificem Clementem XI. fæliciter regnantem, ſemper fuit unus Eccleſiæ Præſes, Princeps, & Monarcha.

II. Primus autem Univerſalis Eccleſiæ Catholicæ à Chriſto fundatæ Paſtor, Princeps, Viſibile caput, & Monarcha fuit Sanctus Petrus ab eodem Chriſto immediatè in

ea

Digitized by Google

ea dignitate conſtitutus adverſùs Marſilium Patavinum, Joannem Wicleffum, Joannem Huſſum, Martinum Lutherum, Joannem Calvinum, & Magdeburgenſes. Unà quidem (ut ſtatim dicemus) Apoſtoli cùm Petro obtinuerunt à Chriſto poteſtatem, non autem dignitatem Primatus. Quandoquidem Sanctus Petrus obtinuit primatum, & poteſtatem ordinariam, cum jure, ſcilicet, eam perpetuò tranſfundendi in ſucceſſores ſuos Romanos Pontifices. Apoſtoli verò non ita obtinuerunt eam poteſtatem, ſed ſolummodò tamquam delegati, ſecluſo videlicet, jure tansfundendi eam in ſucceſſores; & ſemper ſub Petro.

III. Apoſtolorum Princeps Petrus Romæ fuit, & Romanam fundavit Eccleſiam, contra Guillelmum impium Wicleffi Magiſtrum, Martinum Lutherum, Joannem Calvinum, & Magdeburgenſes Centuriatores. Hanc autem Romanam Eccleſiam ſua Cathedra ſtabilivit, ſanctitate rexit, ſuo ſanguine conſecravit; adversùs Udalricum Velenum, Joannem Baleum, Matthæum Dreſſerum, Henricum Buttingum.

IV. Romani Pontificis primatus, & dignitas nulli omninò cujuſvis Eccleſiæ Patriarchalis Præſuli convenire poteſt contra Conſtantinopolitanos Patriarchas Anatolium, Acacium, Joannem Neſteutam, Zenonem Imperatorem. & Annam Comnenam Imperatricem Orientis, & Nilum Theſſalonicenſem Epiſcopum. Quare Romanus Pontifex legitimè electus verus eſt B. Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius, & eamdem, quam Divus Petrus poteſtatem habebat, ligandi, atque ſolvendi in omnibus ubique Eccleſiis habet, adversùs Tertullianum negantem Romanos Pontifices habere poteſtatem abſolvendi Mæchos, & Adulteros etiam pœnitentiam agentes; hunc Pontificis Summi Primatum, & Poteſtatem hanc agnovere Sancti Patres contra Græcos, Berengarium, Waldenſes, Gerardum Sagarellum,

Dulcinum, Hermannum Italum, cum Fraticellis, à quibus nequaquam receſſere Marſilius Paduanus, Joannes de Janduno, Joannes Wicleffus, & Joannes Huſſus, & Thaboritæ; eam inſuper poteſtatem illumque primatum velis remiſque dum evertere contendunt Martinus Lutherus, Philippus Melanchon, Joannes Calvinus, & Magdeburgenſes ſacrarum Scripturarum teſtimonia confirmant. Hinc hujuſcemodi primatum nedum Romani Pontifices ſemper agnoverunt, & in aliis Eccleſiis primatus jura exercuerunt, ſed etiam Chriſtiani Imperatores catholici, Reges, Principes, aliique dominatum habentes hunc ipſum primatum confeſſi ſunt, ſe ſuaque omnia ſubjicientes Summi Pontificis Romani ſupremæ authoritati, veluti Parenti Optimo obſequentiſſimi Filii.

V. Primatus dignitatem in Pontifice probant manifeſtè continuatum jus appellationum, adversùs Nilum, illicita quoque ab ejus ſententia ad quodcumque aliud tribunal etiam Concilii generalis appellatio, & etiam ex eo quòd Pontifex Romanus à nemine judicari queat, (etſi nullum haberet temporale dominium) neque ab Imperatore contra Marſilium Paduanum, Lutherum, Calvinum, Bezam, Magdeburgenſes, neque à Concilio Generali adversùs Nilum, & omnes hæreticos ſuperiùs expoſitos. Quòd ſi dicas Papam, qui ſit manifeſtè hæreticus, poſſe ab Eccleſia judicari, & deponi, ut habetur ex canone *ſi Papa* quidquid de hoc ſit, adhuc negandum erit Pontificem Romanum à quopiam judicari poſſe. Quandoquidem Papa, ſi eſſet manifeſtè hæreticus, per ſe deſineret eſſe caput, & Papa, ſuppoſita ejus pertinacia poſt monitiones & correctiones Eccleſiæ tunc enim per ſe deſineret eſſe Eccleſiæ Membrum, ſcilicet quatenus non eſſet unitum viſibili Eccleſiæ neque unione interna, neque unione externa. Inſuper addimus probabiliſſimam eſſe ſententiam illam aſſerentem primatum

in

Digitized by Google

in Univerſalem Eccleſiam jure divino annexum eſſe Epiſcopatui Romano. Quapropter de fide certum eſt Clementem XI. fæliciter regnantem, quem Eccleſia univerſa ut Pontificem Romanum recipit, ac veneratur, eſſe verum, ac legitimum Sancti Petri Succeſſorem, ac Supremum univerſalis Eccleſiæ caput.

VI. Pontifex Romanus, ſive hæreticus eſſe poſſit, ſive non, nequaquam poteſt aliquid hæreticum à tota Eccleſia credendum definire. Quare Summus Pontifex cùm univerſalem Eccleſiam inſtruit, in his quæ fidem reſpiciunt, nullatenus errare poteſt. Ulteriùs Pontifex nedum in decretis fidei errare nequit, ſed neque in præceptis morum, quæ toti Eccleſiæ demandantur, vel in iis quæ circa neceſſaria ad ſalutem verſantur, vel in iis, quæ per ſe bona, vel mala ſunt. Pium autem, & probabile eſt credere Summum Pontificem non ſolùm reduplicativè, ut Summum Pontificem errare non poſſe, ſed neque ut particularem perſonam hæreticum eſſe poſſe falſum aliquid contra fidem pertinaciter credendo. Quare Liberius revera numquam Arianus fuit, aliter aſſerentibus Platina, Tilmanno, & Hesbuſio, contra quem Hesbuſium aſſerimus neque Fælicem Secundum Arianum fuiſſe. Poſtremò contra Nilum, & Magdeburgenſes Centuriatores Honorium à Monothelitarum labe immunem fuiſſe propugnamus.

VII. Epiſcopi in ſuis diœceſibus, & Pontifex Romanus in univerſali Eccleſia ſunt verè Principes Eccleſiaſtici, habentes juriſdictionem revera coactivam, ita ut jure poſſint leges condere, quæ verè obligent in conſcientia, ita ut etiam poteſtatem obtineant judicandi, ac puniendi tranſgreſſores: perperàm reclamantibus Juliano Apoſtata, qui Eccleſiaſticas, & Clericorum cauſas ad laicorum tribunalia revocare auſus fuit, Martino Luthero, Joanne Brentio, Philippo Melancthone, qui laicos Clericorum Judices eſſe

com-

Digitized by Google

competentes aſſeverare non erubuere. Et Henrico Octavo, qui præmiſſa apoſtaſia, ſe Anglicanæ Eccleſiæ caput conſtituit omnia, quæ ad Eccleſiaſtica jura pertinebant arbitrio ſuo diſponens, à cujus ſententia non receſſere Petrus Martyr, Joannes Calvinus, & Henrici Octavi filia Eliſabetha Angliæ & Scotiæ ab Apoſtatico populo Regina conclamata.

VIII. Romani Pontificis authoritas, quamvis verè ſuprema ſit, de cujus authoritate S.P.N. Bernardus & Eccleſiæ Doctor Mellifluus ad Eugenium III. Romanum Pontificem lib.3. de conſid. cap.1. num.1. E. ſcripſit *Orbe exeundum ei, qui fortè volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam.*) non ſe tamen extendit, ut ſtatim dicimus, vel ad totius orbis, vel ad orbis Chriſtiani Dominium, habet nihilominus ſupremam temporalem poteſtatem indirectè. Neque repugnat ſacrarum paginarum authoritati, quòd idem homo ſit Princeps Eccleſiaſticus, & Politicus; adeòque Dominium temporale, quod à Summis Pontificibus obtinetur non eſt merum latrocinium, ſed fuit donum piorum Imperatorum, Regum, aliorumve Principum.

Digitized by Google

DE ECCLESIA MILITANTE.

Toto Terrarum Orbe Diffuſa.

I. NAtura Angelica, vel animæ à corpore ſeparatæ, & in purgatorio degentes non ſunt membra conſtituentia Eccleſiam militantem. Imò contra Wicleffum, Waldenſes, Lutherum, Muſculum, Bucerum, & Calvinum ſuſtinemus electionem divinam non eſſe formam conſtitutivam Eccleſiæ militantis, ſeu Eccleſiam non conſtare ex ſolis prædeſtinatis; & etiam à ratione conſtitutiva formaliter Eccleſiæ Militantis excludimus gratiam habitualem, vel habitum charitatis; aliter opinantibus Novatianis, & Donatiſtis, qui olim ab Eccleſia arcebant quoslibet læthali culpa obſtrictos. Quem errorem ſecuti ſunt deinde Lutherus cum ſuis, Polanus, Eraſmus, Melancthon. Quare omnimoda impeccabilitas non eſt conſtitutivum eſſentiale Eccleſiæ Militantis, ut præter Philetum, & Himenæum arbitrabantur Pelagiani; quorum error recenſet S. Auguſtinus lib. de hæreſi cap.88. his verbis. *In illud enim progrediuntur, ut dicant vitam juſtorum in hoc ſæculo nullum omninò habere peccatum, & ex his]Eccleſiam Dei in hac mortalitate perfici*; quod & docuere Jovinianus, Begardi, & Beguinæ, & docent nunc Anabaptiſtæ illi, qui & Phanatici nuncupantur unà cum Fratribus de familia Amoris. Quare de eſſentia Eccleſiæ militantis ſub Chriſto eſt Sacramentum regenerationis, ſive Baptiſmus contra Calviniſtas Helvetios, & indirectè contra omnes

illos,

Digitized by Google

illos, qui tenent electionem ad gloriam ſimpliciter eſſe conſtitutivum Eccleſiæ. Quare Cathecumeni non ſunt actu membra Eccleſiæ Militantis. Fides autem integra eſt etiam eſſentiale conſtitutivum ejuſdem Eccleſiæ, adversùs Philippum de Mornay, Mortonum, Bezam, Hugonotas, & Apoſtatam Marcum Antoninum de Dominis; Ulteriùs fides nedùm integra, ſed etiam vera, ut non ſufficiat extrinſeca apparentia, eſſe debet; contra Pſeudopoliticos. Subjectio autem actualis, & ſocietas non ſunt de eſſentiali Eccleſiæ conſtitutivo. Quare ſimplices ſchiſmatici ſunt intra Eccleſiam, & excommunicati ſunt verè de Eccleſia, & membra Eccleſiæ.

II. Eſſentiam rei indiſpenſabiliter proprietates ſequi axioma eſt Philoſophicum; adeòque prima entis realis proprietas eſt unitas realis, eamque reali Eccleſiæ convenire ſanctum eſſe de fide in Symbolo Apoſtolico apertum eſt.
11 Quare Eccleſia Catholica eſt una cum unitate corporis miſtici, repugnantibus Fraticellis, qui duas effingebant Eccleſias, quarum una divitiis non minùs, quàm vitiis pollens loco capitis Romanum obtinebat Pontificem; altera virtutibus, & ſanctitate florens ipſos Fraticellos continebat. Eſt etiam hæc noſtra aſſertio, contra Donatiſtas, nec non adversùs Wicleffum negantem Eccleſiam poſſe ſub ſe particulares Eccleſias, vel Regularium ordines continere. Unico autem verbo eſt fermè adversùs omnes hæreticos, qui vel docent in qualibet ſecta unumquemque poſſe ſalvari, vel quodlibet regnum, & principatum Eccleſiam particularem conſtituere, cujus caput ſit Rex, vel Princeps illius Regni, vel Provinciæ reſpectivè. Eſt etiam Eccleſia una unitate indiviſibilitatis; quapropter ſummus eſt neceſſarius conſenſus in articulis fidei, quicumque illi ſint, ſive fundamentales, ſive non; adversùs doctrinam traditam à Luthero, Calvino, Beza, Petro Martyre, & aliis; Pariter Eccleſia eſt una

uni-

unitate ſalutis ; itaut extra veram Eccleſiam nullatenùs reperiri poſſit ſalus, contra quam ſententiam olim Donatiſtæ pugnantes rejecti ſunt à D. Auguſtino ; nunc iterum à Donatiſtis recepere hæretici noſtri temporis, qui indifferentes, & Libertini appellantur, eſtque ipſorum fundamentalis error, & præcipuus Hugonottarum ſectariorum. Poſtremò autem hæc unitas corporis myſtici, indiviſibilitatis, & ſalutis eſt vera & propria nota veræ Eccleſiæ.

III. Eccleſia eſt ſancta ſimpliciter, & abſolutè ideſt omni genere ſanctitatis, vel accipiatur ſanctitatis ratio à cauſa formali, vel à legibus, vel à cauſa principali meritoria, vel à doctrina, vel à ritibus, quod aſſertum opponitur ſententiæ omnium omninò hæreticorum, qui omnes maculam, rugam, defectuſque morales in Eccleſia reduplicativè, ut Eccleſia eſt, inveniri contendunt, præcipuè tamen eſt contra Albigenſes, Sanderum, Eraſmum, Lutherum, & Calvinum. Hæc autem ſanctitas eſt verè, & propriè ſecunda nota Eccleſiæ.

IV. Ratio Catholici, ſeu univerſalis competit veræ Eccleſiæ, quod aſſertum impugnarunt olim Tertullianiſtæ, & Donatiſtæ; ab hoc autem Catholici nomine abhorrent nunc Novatores, unà cum Luthero, Calvino, Beza, & præcipuè Puritani Angli. Hæc autem ratio Catholici eſt vere, & propriè tertia nota Eccleſiæ. Etiam Chriſti Eccleſia eſt Apoſtolica, quatenus eſt ab Apoſtolis fundata, quatenus conſervat, & propagat Apoſtolorum doctrinam, & etiam quatenus dependet ab Apoſtolica Sede Petri, quod poſtremum eſt præcipuum contra Græcos Schiſmaticos. Quare vera Chriſti Eccleſia numquam à ratione Apoſtolici receſſit, ſive ſub Perſecutoribus afflicta, ſive ſub hæreſibus Cherinti, Marcionis, Novati, Arii, Sabellii, Pelagii, Neſtorii &c. tentata, ſive Principum diſſidiis turbata conſideretur; hæc autem ratio Apoſtolici eſt quarta nota veræ Eccleſiæ.

Digitized by Google

V. Hanc Orthodoxam Eccleſiam nullo umquam tempore poſſe deficere dogma eſt catholicum impugnatum à Donatiſtis, Luciferianis, Pauperibus de Lugduno, Luthero, Melancthone, Anabaptiſtis, Sebaſtiano Franco, Georgio David, Calvino, Ochino, & Sckimbergio.

VI. Chriſti Eccleſia eſt verè, & propriè viſibilis, ita ut ſit verè ſub uno capite viſibili Romano Pontifice, Chriſti Vicario, & Petri ſucceſſore viſibiliter congregata, & cum eodem Romano Pontifice communicans conſtituta, contra Novatores, & præcipuè contra Lutherum, Melancthonem, Brentium, & Calvinum.

VII. Ut cognoſcamus ubi nam ſit vera Eccleſia, aliquæ notæ ipſam indigitantes, & manifeſtantes neceſſariò aſſignandæ ſunt, in quo nobiſcum conveniunt adverſarii noſtri Melancthon, Danæus, Calvinus, Beza; aliter opinante Amæſio. Veræ tamen notæ Eccleſiæ non ſunt Verbum Dei prædicatum, vel Doctrina incorrupta, (eo ſcilicet ſenſu, quo talem incorruptam doctrinam intelligunt Lutherani,) legitimus Sacramentorum uſus, obedientia Miniſterio debita, Orationes publicæ, pſalmodia, perſecutiones externæ, quæ vel quoad omnes, vel quoad aliquas aſſignantur communiter ab Hæreticis Luthero videlicet, Magdeburgenſibus Centuriatoribus, & Calviniſtis; ſed veræ notæ Eccleſiæ ſunt quatuor, ideſt Unitas, Sanctitas, ratio Catholici, & Apoſtolici, quæ continentur in Symbolo Niceno *Credo in* ,, unam Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam,, *Eccleſiam*, & ad has quatuor notas reducuntur omnes aliæ, quæ à Doctoribus catholicis frequentiſſimè aſſignantur.

VIII. Sola Eccleſia Romana eſt una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica: Unde nil mirum ſi Montaniſtæ, Macedoniani, Appollinariſtæ, Pelagiani, Pauperes de Lugduno, & ipſemet Lutherus ad Leonem X. S. Mem. Pontificem Maximum ſe ſuaque opera ſubmittere dictitabant, ut ex

pa-

pacis litteris, & communicatoriis, Catholici, & Apoſtolici dicerentur.

DE ECCLESIA

In Conciliis Congregata.

I. Epiſcoporum Concilia à Summo Pontifice approbata ſummæ ſunt authoritatis, contrarium opinantibus Ariomanitis, Neſtorianis, Eutychianis, Anaſtaſio Imperatore, qui Macedonium impulit, ut Chalcedonenſem Synodum anathemate damnaret, Severianis, Wicleffo, Martino Luthero, Sebaſtiano Franco, Antonio Corvino, Urbano Regio, Joanne Calvino, Joanne Sommero.

II. Generalium Conciliorum convocationes utiles eſſe perhibemus, & ſuo modo neceſſarias, non tamen abſolutè, & ſimpliciter; eſtò tamen hujuſmodi generalia concilia abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria non ſint, nihilominus aliqua Concilia ſive generalia, ſive particularia omninò neceſſaria ſunt ad perfectum Eccleſiæ regimen; imò Luthero reclamante aſſerimus Concilia eſſe juris divini, & à Chriſto Domino originem habere, ita tamen, ut in eis præſideant, vel Romanus Pontifex, vel ejus de Latere Legati.

III. Solius Romani Pontificis eſſe de jure generalia congregare Concilia, & in eiſdem convocatis vel per ſe, vel per legatos præſidere eſt communis omnium catholicorum doctrina. Quare fruſtra contendunt Lutherus, Calvinus, & Magdeburgenſes dicentes Univerſale Concilium ideò univerſale dictum, quatenus ſit ab uniuerſali omnium Domino Imperatore convocatum, quod quidem quàm perperàm di-

ctum ſit, ipſorum, vel piorum Imperatorum geſta teſtantur. Quapropter Noſtrum Sacroſanctum Concilium Tridentinum à Pontifice Romano congregatum, ut Generale Concilium recipiendum eſſe contra Carolum Molinæum Catholicæ Eccleſiæ praxis convincit.

IV. Homines eruditos omnes quamvis laicos judices eſſe in Conciliis, & in iis ſuffragium habere deciſivum, (quod reſpuimus) dogma fuit Lutheri, Proteſtantium, Magdeburgenſium Centuriatorum, & Caroli Molinæi; Pariter Concilium non debet conſtare ex hominibus tantummodò verè piis, & electis, ut docebant Brentius, Confeſſioniſtæ, & Calviniſtæ; ſed ad Generale Concilium de jure ſoli Epiſcopi ut judices vocandi ſunt, ex privilegio autem, & ex conſuetudine etiam S. R. E. Cardinales non Epiſcopi, Abbates Regulares, & Religionum Generales. Homines verò docti & eruditi voce tantummodò conſultiva gaudentes ad Concilium, ſi mittantur, accedere poſſunt, non tamen ſimplices Sacerdotes, vel Parochi curam animarum habentes jus habent ad generale Concilium accedendi, niſi vel ob doctrinam miſſi voce conſultiva, vel ob privilegium ſpeciale voce deciſiva gaudeant. Imperatores autem, Reges, alioſque Principes laicos intereſſe poſſe non negamus; verumtamen non ita, ut in Conciliis vocem habeant vel deciſivam, vel conſultivam, ſed tantummodò ut eorumdem Conciliorum Protectores, & Defenſores. Ut autem Concilia Generalia ſint, quatuor deſiderantur conditiones, prima eſt ut evocatio ſit generalis, ita, ut innoteſcat principalioribus Chriſtiani orbis Provinciis, ſecunda, ut Epiſcoporum nemo excludatur, niſi fortè anathemate obſtrictus ſit, tertia ut per ſe, vel per procuratores adſint quatuor præcipui Patriarchæ, Antiochenus ſcilicet, Alexandrinus, Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus; quæ tamen tertia conditio non eſt omninò neceſſaria, ſed tantùm ad me-

Digitized by Google

melius eſſe. Poſtrema tandem eſt, ut ex univerſis, vel ex majoribus Chriſtiani orbis Provinciis aliqui Epiſcopi accedant.

V. Ex dictis patet contra hæreticos noſtri temporis, à nobis ſuperiùs allatis ordinarium Præſidem Conciliorum generalium non debere eſſe Imperatorem, vel alium ab eo miſſum, vel ex natura rei antiquiorem Patriarcham, vel Epiſcopum loci, ubi celebratur univerſale Concilium, ſed hoc munus proprium eſt Romani Pontificis, itaut peculiare ipſius ſit, ut vel per ſe, vel per ſuos de latere legatos ſemper œcumenicis Conciliis præſideat.

VI. Eſt de fide; & ſacris paginis demonſtrabile Concilia Generalia à Summo Pontifice approbata, & confirmata errare non poſſe, nec in fide, nec in moribus, oppoſitum pro libertate & hæreſi opinantibus Luthero, Brentio cum Magdeburgenſibus, & Calvino. Imò indubitanter aſſeveramus Concilia etiam particularia à Summo Pontifice approbata, & confirmata nullatenus in fide vel moribus errare poſſe; quod tamen eſſe de fide non affirmamus. Concilia tamen etiam generalia ante confirmationem Romani Pontificis errare poſſe credimus, niſi Patres in Concilio congregati, dum definiunt ſequantur Romani Pontificis inſtructiones.

VII. Licèt authoritas Conciliorum generalium à ſupremo totius Eccleſiæ Univerſalis capite Romano Pontifice approbatorum ſumma ſit, tamen non per hoc major eſt authoritas Conciliorum, quàm Scripturæ, ſed ſacra Scriptura ſanctis Conciliorum decretis ſemper præpoſita fuit ab Eccleſia, quapropter quod aſſeverare ſolent noſtri temporis hæretici, nos Scripturam ſubjicere Conciliis, Calvini calumnia eſt.

VIII. Romanus Pontifex eſt Paſtor, & caput omnium Eccleſiarum, tum particularium, tum etiam univerſalis Eccle-

Digitized by Google

cleſiæ, itaut ſumma Eccleſiaſtica poteſtas non ſit in Eccleſia, aut Concilio ſecluſo Pontifice ſummo, ſed penès ipſum ſit, quatenus Summus Pontifex ſit ſupra Eccleſiam Univerſam, & ſupra quodlibet Concilium generale, & nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcat. Quare Romanus Pontifex nullatenus committere poteſt neque Generali Concilio, neque ulli homini ſupra ſe judicium coactivum; vel non poteſt Romanus Pontifex ſubjicere ſe ipſum Conciliorum coactivæ ſententiæ; cum hoc tamen benè ſtat poſſe Romanos Pontifices ſubjicere ſe ipſos Conciliorum ſententiæ diſcretivæ, & hujus ſubjectionis poſſunt aliqua exempla adduci.

DE
SACROSANCTIS ECCLESIÆ SACRAMENTIS.

De Sacramentis in genere.

I. SAcramentum, quod *ſignum Rei ſacræ* dicitur, ſeu *inviſibilis gratiæ, viſibilis forma*. Verè, & propriè invenitur in Eccleſia Chriſti ſanguine fundata, ad quod Sacramentum novæ legis conſtituendum requiritur primò quòd ſit ſignum, ſecundò quòd ſit ſignum ſenſibile, tertiò quòd ſit ſignum datum, ſeu voluntarium, prout contradiſtingui debet à ſigno naturali, naturaliter ſignificante, ita ut habeat ſignificare ex placito inſtituentis; poſtremò requiritur, quòd hoc ſignum habeat cum re quam ſignificat analogiam aliquam; & ſimilitudinem, Sacramentum verò in genere, ſi ſumatur prout eſt ſi-

gnum

Digitized by Google

gnum rei ſacræ eſt genus univocum ad Sacramenta legis veteris, & novæ, & hoc pacto Sacramenta antiqui Teſtamenti erant ſimpliciter, & abſolutè Sacramenta. Ad rationem autem Sacramenti in genere non eſt ſufficiens, ut ſignificent ſanctitatem, ſed ulteriùs requiritur etiam, ut efficiant ſanctificationem, ita ut magis proprium Sacramenti ſit ſanctificare, quàm ſignificare. Quare Sacramenta veteris legis non ideò præcisè Sacramenta erant, quia ſignificabant gratiam ſanctificantem, ſed quia ſignificabant, & efficiebant ſanctitatem legalem. Contra Sacroſancta Eccleſiæ Sacramenta nequiſſimi ſpiritus arma detulere Archontici, & Aſcedriti, Fraticelli, & Pauliciani, qui vel omnia, vel aliqua ſacramenta de medio tollere conati ſunt vel loco materiæ verba myſticè materiam præſignantia ſubſtituebant: Meſſaliani, qui virtutem, & gratiæ efficientiam Sacramentis denegabant; imò ſinè Sacramentis, ſolis orationibus homines juſtificari poſſe effingebant. Sacramenta tamen veteris legis non habuerunt eamdem virtutem, & efficaciam, quam habent Sacramenta novæ legis, aliter ſentientibus Martino Luthero, & Calvino.

II. Tametſi, ut docet Angelicus Præceptor, probabile ſit, Sacramenta veteris legis non habuiſſe res, & verba, ſed ſolummodò res, nihilominus in Sacramentis novæ legis, & quidem omnibus inveniuntur res ſtantes pro materia, & verba pro forma. Quare ut Sacramenta dicantur conſtare rebus, & verbis; ſatis eſt ut aliquid fungatur vice rei, aliud fungatur vice verbi, quod patet in Sacramento præcipuè Pœnitentiæ, in quo quis pro materia remota poteſt habere ſola verba peccaminoſa, adeòque non requiritur neceſſariò, quòd verba non ſit res, & res non ſint verba, pariter non eſt neceſſarium, ut in omni Sacramento res & verba ita conjungantur, ut materia & forma in rebus naturalibus, exemplum habes in omnibus Sacramentis, præcipuè tamen

Sa-

Digitized by Google

Sacramenta Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ noſtri aſſerti veritatem oſtendunt. In omnibus autem Sacramentis verba requiruntur in ipſa Sacramenti confectione, quod verbum non eſt verbum merè concionatorium, ut volebant Calvinus, & Beza; vel purè hiſtoricum, ut eſt opinio aliquorum Lutheranorum; ſed aliqua verba in genere formæ ad eſſentiam Sacramenti requiruntur, quæ verba non ſolùm inſtruant circumſtantes, ſed verè conſecrent, & ſanctificent elementum; contra Brentium, & Genevenſes nonnullos.

III. Res, & verba Sacramentorum ita determinata ſunt, ut non liceat aliquid addere minuere, vel immutare. Oppoſitum defendebant Gnoſtici, Donatiſtæ, & Martinus Lutherus, qui tamen errorem retractavit plurimis in locis. Aſſerimus tamen, quòd non ad omnem formæ variationem irritum redditur Sacramentum, ſed tantùm dum variatur forma neceſſaria neceſſitate Sacramenti; ſi autem varietur forma neceſſaria tantùm neceſſitate præcepti, perficitur quidem Sacramentum, ſed non licitè. Hoc tamen aſſerimus aliqua utendo reſtrictione; maximè attenta doctrina Angelici Præceptoris, quia poteſt in aliquo caſu reddi irritum Sacramentum, etſi tantùm accidentalis variatio fiat in forma, ut eſſet v. g. ſi quis per eam mutationem novum ritum intenderet introducere reſpectivè ad univerſalem Eccleſiam, tunc enim non perficeretur Sacramentum non quidem ex defectu formæ, ſed ut advertit Angelicus ex defectu intentionis, quatenus intelligitur in eo caſu Miniſtrans nolle facere id quod vera Eccleſia intendit per illud Sacramentum.

IV. Nullum fuit Sacramentum in ſtatu innocentiæ, antequam primi parentes peccarent, cùm enim in Sacramentis debeant ſalvari inſtitutio ſtabilis, & diuturnus uſus, ac utilitas, fuiſſet certè inconveniens pro duabus tantummodò

Digitized by Google

modò perſonis, Adamo ſcilicet, & Eva, & ad breviſſimum tempus Sacramenta inſtitui. Imò etſi ſtatus innocentiæ Adamo non peccante diutius duraſſet, non per hoc ullum Sacramentum fuiſſet datum; per hoc tamen non aſſerimus in ſtatu innocentiæ Sacramenta fuiſſe impoſſibilia, eorum enim poſſibilitatem in ſtatu innocentiæ abſolutè agnoſcimus; quandoquidem homo etiam innocens abſolutè poteſt rebus ſenſibilibus ſubjici, & per ſigna ſenſibilia practicè deduci, ad cognoſcendam, & conſequendam gratiam, ad quam eſt elevatus. Pariter in ſtatu legis naturæ fuit aliquod remedium peccati originalis pro adultis, & parvulis, quod tamen fuit Sacramentum pro parvulis, non pro adultis, nec fuit aliquod aliud Sacramentum in ea lege univerſaliter inſtitutum. In lege autem veteri ſcripta fuerunt multa Sacramenta verè, & propriè talia, & etiam in lege nova dantur vera Sacramenta, quorum aliqua ſuppoſita Chriſti inſtitutione ſunt neceſſaria neceſſitate medii, alia neceſſaria neceſſitate, præcepti, alia autem neceſſaria neceſſitate ſecundùm quid, ſeu convenientiæ. Sacramenta autem novæ legis ſunt ſeptem, Baptiſmus videlicet, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Hæc autem Sacramenta non ſunt ſuperflua, ut aſſerebant Anabaptiſtæ, & Zuingliani, ſed ad ſalutem neceſſaria, imò aliqua ita neceſſaria, ut ſinè ipſis nullatenùs ſalus obtineri poſſit contra Lutheranos, & Calviniſtas, qui ſolam fidem ad ſalutem neceſſariam eſſe docent, quam doctrinam amplexatus eſt etiam Kemnitius. Sacramenta verò inſtituta ſunt ad homines juſtificandos, & ut ſint ſigna, & cauſæ inſtrumentales gratiæ, & licèt Deus ad hunc finem conſequendum inſtituere potuerit alia media, vel etiam nulla, fuit magis congruum tamen tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, tum etiam ex parte Sacramentorum hæc potius, quàm alia media conſtituere ad ſalutem conſequendam.

Digitized by Google

V. Omnia omninò Sacramenta novæ legis immediatè à Chriſto Domino ſunt inſtituta. Contrarium ſentit Calvinus, qui à Chriſto Domino Sacramentum Baptiſmi, & Euchariſtiæ immediatè inſtitutum docet, non autem reliqua, cui adhæret Kemnitius, qui perperàm pro ſua ſententia S. Cyprianum adducit, quem certè noſtram propugnaſſe ſententiam ejus ſcripta teſtantur. Chriſtus autem Dominus, quatenus Deus, poteſtate authoritatis, & imparticipata inſtituit omnia nova Sacramenta, quatenus homo verò ea omnia immediatè inſtituit per ſe ipſum poteſtate principalis Miniſterii, & excellentiæ. Quapropter nulli puræ creaturæ communicabilis eſt inſtituendorum Sacramentorum poteſtas primaria, & authoritativa; benè tamen poteſtas ſecundaria, & delegationis, quæ nihilominus eſſet inferioris gradus, & perfectionis cum ea, quæ Chriſto ut homini infuit.

VI. Sacramentorum Miniſter homo eſſe debet; non autem Angelus ſive bonus, ſive malus ſit, & hoc dicimus ſtante hac rerum ſerie; nam reſpectivè ad Angelum bonum poteſt aliqua eſſe difficultas, dicimus tamen, quòd ſi Angelus bonus aliquod Sacramentum miniſtraret, & conficeret, eſſet validum Sacramentum, & ratum (excepto tamen Matrimonio, quia in hoc Sacramento requiritur traditio proprii corporis) nam illud factum eſſet ex diſpenſatione extraordinaria divina. Non ita aſſerendum eſt de Diabolo, qui nullatenus nec de potentia ordinaria, nec extraordinaria eſſe poteſt alicujus Sacramenti miniſter, quamvis Lutherus hanc Satanæ tribuat poteſtatem. Pariter verus, & legitimus Sacramentorum miniſter (ſi excipias Baptiſmum, & Matrimonium) non eſt quilibet homo baptizatus, ſed tantummodò ille, qui ritè in Eccleſia ordinatus eſt; adverſus Lutherum, qui poteſtati laicæ facultatem conferendi omnia Sacramenta impertitur, & contra Calvinum; qui

negat

Digitized by Google

negat ab hominibus, non vocatis ad gradum aliquem in Eccleſia conferri poſſe baptiſmum etiam urgente extremâ neceſſitate.

VII. In adminiſtratione Sacramentorum Sacerdotis mala vita, & doctrina, nihil obeſt, dummodò juxta Chriſti Domini inſtitutionem, & Eccleſiæ intentionem ſacramenta perficiantur contra Donatiſtas Sacramenta catholicorum invalida exiſtimantes, Luciferianos irritam cenſentes ordinationem ab Hæretico Epiſcopo collatam, Pſeudo-Apoſtolicos negantes homines malos efficaciter poſſe Sacramenta adminiſtrare, & Waldenſes, qui arbitrabantur Præsbyterum non dignitatem, ſed vitæ meritum conſtituere; quapropter dictitabant præsbyteros in læthali exiſtentes, nec Evchariſticum Sacramentum conficere, nec à peccatis abſolvere, à quibus erroribus nequaquam viſi ſunt recedere Albigenſes dicentes obeſſe malam prælatorum vitam, addentes inſuper, quòd nullus malus Epiſcopus eſſe poteſt. Et etiam Sagerellus, & Dulcinus qui negant Romano Pontifici poteſtatem abſolvendi, niſi ſit ita Sanctus, ſicut fuit Beatus Petrus, vivendo in omnimoda paupertate ſine proprio, cui ſententiæ quoad primam partem adhæſere Wiclephus, & Huſſus extendendo eam etiam ad Epiſcopos, & Sacerdotes. Quare Anabaptiſtæ horum doctrinam ſequentes efficacia non eſſe Sacramenta niſi à probis, & fidelibus miniſtrentur dixere.

VIII. Intentio Miniſtri eſt omninò neceſſaria ad perfectionem Sacramenti, contra Lutherum, Calvinum, & Kemnitium. Hæc autem intentio neceſſaria, eſt intentio faciendi quidquid facit Eccleſia; quæ intentio utique eſt ſufficiens, licèt etiam bonum ſit habere intentionem particularem v.g. baptizandi, abſolvendi, confirmandi &c. Dicimus tamen quòd licèt ſit neceſſaria intentio faciendi quidquid facit Eccleſia, non tamen eſt neceſſaria intentio fa-

Digitized by Google

ciendi quidquid facit Eccleſia Romana præciſè, ſed ſufficit, & eſt neceſſaria intentio faciendi quidquid facit, & per illam actionem intendit facere vera Eccleſia. Quare intentio ſolùm jocoſa ſine intentione faciendi, quod facit, & intendit facere vera Eccleſia non eſt ſufficiens ad Sacramentum, ſicut nec intentio faciendi præcisò ſeriè actionem externam. Poſtremo aliqua Sacramenta Baptiſmus, ſcilicet, Confirmatio, & Ordo imprimunt animæ characterem, qui eſt ſignum aliquod Spirituale, & indelebile contra Joannnem Wicleffum, Lutherum, & Calvinum.

De Sacramento Baptiſmatis.

I. BAptiſma eſt primum novæ legis Sacramentum contra Quintillam Hæreſis Cajanæ fœminam, Manichæos, Archonticos, Seleucianos, Herminianos, Lullardos, & Lucam Sternbergium. Eſt autem Baptiſmus. *Sacramentum regenerationis per aquam in Verbo vitæ.* Quare mentiuntur Manichæi, qui dicunt Baptiſmum in aqua nihil umquam ſalutis afferre, cui errori nomen dedere etiam Flagellantes, qui Baptiſmum aquæ in Baptiſmum Sanguinis per flagella è proprio corpore emanantis mutatum contendebant. Aqua autem pro materia eſt omninò neceſſaria ad conficiendum baptiſma, quæ quidem aqua debet eſſe aqua vera & naturalis, contrarium opinantibus Seleuco, & Hermia, qui aquam à Baptiſmo excludebant; Jacobitis, qui ignito ferro loco aquæ utuntur, Paulicianis aquam myſticè, & allegoricè intelligentibus; ex illis verbis. *Ego ſum aqua viva.* Et Luthero, qui in Balneis vini, lactis, & cerviſiæ materiam aptam ad Baptiſmum conficiendum agnovit. Forma autem Baptiſmi ſunt verba illa. *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Per quam for-

Digitized by Google

mam excluditur error Innominatorum;qui in nomine trium principio carentium baptizabant, Gnoſtificorum, baptizantium in nomine Ignoti Patris, in veritate Matris omnium, & in nomine Deſcendentis Jeſus, Cataphrygum,qui in Baptiſmo Trinitatis invocationem excludebant;Arianorum illorum,qui hac utebantur forma in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto. Eunomianorum Baptizantium quidem, ſed nequaquam in nomiue trium Divinarum Perſonarum,ſed in Domini mortem; tandem contra Lutherum, Zuinglium, & Brentium dicimus eam eſſe omninò neceſſariam, illi enim, etſi ea forma utendum eſſe doceant, tamen credunt eam minimè neceſſariam ad Baptiſmi ſubſtantiam.

II. Baptiſma non eſſe neceſſarium ad remiſſionem Originalis peccati, ſed tantummodò ad conſecutionem Regni Cœlorum Pelagianorum fuit doctrina. Wicleffus autem, & Zuinglius, nedum ad originale delendum Baptiſmi neceſſitatem excludere conati ſunt, verùm etiam & ad ſalutem percipiendam Baptiſmum ſupervacaneum eſſe arbitrati ſunt; Quapropter Bucerus docuit pueros prædeſtinatos etiam ſinè Baptiſmo decedentes ſalvari, pueros verò reprobos etiam cum Baptiſmo damnari. Quem errorem Calvinus cum Petro Martyre reſtrinxit ad ſolos filios fidelium, qui, ut ipſe dicit ſalvantur etiam ſinè Baptiſmo, cum fidelium pueris Originalis macula non imputetur. Adeòq; contra hos dicimus: Baptiſmum eſſe ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medii in re quidem reſpectu parvulorum, reſpectivè verò ad adultos eſſe neceſſarium neceſſitate medii ſaltem in voto. Hæc concluſio opponitur Cajanis, qui ſolam fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem contendebant, ſecluſo Baptiſmate; afficit etiam Meſſalianos aſſerentes Baptiſmum nihil conferre, neque peccati radicem tollere. Si autem quæras quandonam inſtitutum fuerit Sacramentum Baptiſmi? Reſpondemus ante Christi paſſionem, quando ſcilicet ipſe Domi-

nus

Digitized by Google

nus Redemptor noſter à Joanne in Jordane Baptizatus eſt. Verumtamen non ſtatim etiam ante Chriſti mortem Baptiſma illud fuit neceſſarium neceſſitate medii, aut neceſſitate præcepti; tantummodò habuit hanc utramque neceſſitatem à die Pentecoſtes, quando ſcilicet lex nova erat ſufficienter promulgata. Martyrium autem prout eſt actus perfectæ charitatis etiam eſt quoddam baptiſma, adeòque ſupplere poteſt pro Baptiſmo aquæ ſicut etiam perfecta converſio, & Pœnitentia, ſaltem poſito caſu extremæ neceſſitatis.

III. Ordinarii Miniſtri hujus Sacramenti ſunt Sacerdotes, Præsbyteri ſcilicet, & Epiſcopi, ità tamen ut Præsbyteris conveniat dependenter à ſubordinatione Epiſcoporum. Diaconi etiam ex officio poſſunt miniſtrare Baptiſmum abſente Sacerdote eo autem præſente poſſunt etiam, ſed ex commiſſione Præsbyteri. Laicis autem numquam licet Baptizare vel ſolemniter, vel privatim coram Sacerdote, vel Diacono, neque in eorum abſentia excluſo neceſſitatis caſu; quo urgente nedum laici baptizati, poſſunt miniſtrare Baptiſmum, verùm non baptizati, & fæminæ dummodò ſciant baptizandi ritum, & formam. Et hæc concluſio quoad caſum neceſſitatis eſt contra Calvinum docentem non licere iis, qui Eccleſiaſtici non ſunt, Sacramentum baptiſmi in caſu neceſſitatis quantumvis extremæ miniſtrare.

IV. Infantes ſine Baptiſmo decedentes ſalvari nequaquam poſſunt. Aliter tamen ſentiunt Pelagiani, qui infantibus non baptizatis vitam beatam extra Regnum Dei concedunt; Vincentius Victor, qui parvulis ſi ante Baptiſmi ſuſceptionem rapti fuerint Originalis peccati indulgentiam promittebat. Quare infantibus neceſſarium eſt Baptiſma ut ſalventur, adeòque omnino baptizandi ſunt contra Hincmarum Lugdunenſem, Berengarium, Petrum Joannis, & Albigenſes. Quare licèt Hæreticorum nonnulli ideo denegent

Digitized by Google

gent parvulis Baptiſmum; ex eo quia fide careant, ut ſunt Petrobruſiani; Henriciani, & Pſeudo-Apoſtolici Balthaſar Pacimontanus, & Anabaptiſtæ omnes; ſufficit tamen ut dum non poſſunt propriam habere fidem Baptizentur in fide Eccleſiæ. Quapropter nequaquam audiendus eſt Michael Servettus docens Baptiſmum ſuſcipi non debere niſi ætatis anno 30. Unde toto cœlo aberrarunt Eraſmus ſupponens homines in infantia Baptizatos dum ad perfectum rationis uſum pervenerint, interrogandos eſſe, an ratum habeant, quod eorum nomine in Baptiſmo promiſſum eſt, quòd ſi negativè reſponderint liberos eſſe dimittendos; & Ludovicus Wives qui docuit olim neminem fuiſſe baptizatum, niſi adulta ætate.

V. Origeniſtarum opinio fuit per Baptiſmum peccatum non tolli, ſed ſolummodò tegi, cui errori olim nomen dediſſe videntur Meſſaliani, noviſſimè verò unà cum Luthero Calvinus ab eo fermè decepti, quòd poſt Baptiſmum concupiſcentia remaneat, quam peccatum eſſe arbitrantur. Quare contra hos Hæreticos dicimus Baptiſmi Sacramentum ità tollere omnia peccata, ut non ſolùm amplius non imputentur, verùm etiam ut & nihil remaneat, quod imputari poſſit ad culpam. Baptiſmus verò non reddit homines impeccabiles, ita ut gratiam Dei ammittere nequeant, contra id quod ſentiebat Jovinianus aſſerens hominem verè baptizatum non poſſe amplius peccare; quòd ſi fortè in aliquod peccatum incideret, ſignum erat aqua tantùm, & non gratia fuiſſe perfuſum. Quam ſententiam olim à SS. Eccleſiæ PP. impugnatam ſtabilire conatus eſt Calvinus. Homines enim, quamvis Baptiſmum ſuſceperint, ſi perverſam vitam agant, & non reſipiſcant certè damnantur; contra quoſdam qui tempore Auguſtini volebant renatos per Baptiſmum, quibuſvis peccatis involutos infallibiliter fore ſalvandos dummodò fidem non abjeciſſent, quibus acceſſiſſe Lu-

therum

Digitized by Google

therum cum ſuis ejus ſcripta demonſtrant. Neque etiam Baptiſmus homines tantummodò fidei debitores reddit, ut non teneantur legē Chriſti adimplere, quatenus ut docent Lutherani hominibus Baptizatis trangreſſio legis non imputetur. Imò Baptiſmus non abſolvit homines ab obligatione obſervandi legem Eccleſiaſticam, & humanam; ſed verè teneantur in conſcientia eas leges ſanctè ſervare, contra Lutherum docentem hominem baptizatum non obligari in conſcientia ad ſervandas leges Eccleſiaſticas, & Politicas, itaut hujuſmodi trangreſſiones non ſolùm non imputari, ut accidit in tranſgreſſione divinæ legis, verùm nec eſſe peccata; cui ſententiæ Kemnitius, & Calvinus adhæſere. Et ulterius Baptiſmus non abſolvit ab omnibus votis, itaut non ſolùm ea vota quæ ante Baptiſmum elicita ſunt irrita reddantur per ſuſceptionem Baptiſmi, verùm etiam, & quæ poſt ſuſceptùm Baptiſma eliciuntur; quod eſt contra Lutherum, Calvinum, & Kemnitium.

VI. Baptiſmus Joannis non fuit Sacramentum idem cum Baptiſmo Chriſti. Quare Petilianus Donatiſta, qui tres Baptiſmos adinvenit Aquæ ex Joanne, Spiritus à Chriſto, Ignis à Paraclito, qui tres Baptiſmi ad unum & idem Baptiſma pertinerent jure damnatur ab Auguſtino. Nihilominus etiam contra Auguſtini, & Eccleſiæ doctrinam Philippus Melanchthon, Calvinus, & Kemnitius, reliquive Lutherani ſuſtinent idem fuiſſe miniſterium in Baptiſmo Joannis, & in Baptiſmo Chriſti; Bogomili autem etſi diverſum ſenſerint Baptiſmum Chriſti à Baptiſmate Joannis, nihilo errarunt in hoc quòd ipſi dicebant noſtrum Baptiſma utpotè in aqua miniſtratum, eſſe Baptiſmum Joannis; eorum verò Baptiſma eſſe Chriſti Baptiſma utpotè in ſpiritu collatum. Hinc fit Baptiſmus Joannis non habuiſſe eamdem vim & efficaciam, quam habet Baptiſmus Chriſti, aliter ſentientibus Lutheranis Aleſſio, & Loſſio unà cum Martino

Bucе-

Bucero, David Kiſtico, Joanne Brentio, Nicolao Selneccero, & Centuriatoribus Magdeburgenſibus. Quapropter qui Baptiſmum Joannis ſuſceperunt, ſi pervenerunt ad tempus, quo Chriſti Baptiſmus obligabat, neceſſariò tenebantur Chriſti Baptiſmum ſuſcipere perperàm reclamantibus Hæreticis ſuperius allatis, præcipuè Calvino, & Zuvinglio.

VII. Licèt Hæretici vel omnes, vel aliquas à Baptiſmo cæremonias excludant, nihilominus pia Mater Eccleſia, aliquibus utitur in Sacramentorum adminiſtratione, quas quidem cæremonias, & ritus antiquiſſimos fuiſſe graviſſima indicant monumenta. Plurimæ autem ſunt cæremoniæ, quæ Baptiſmum antecedunt; quarum prima eſt ut qui ex optant baptizari nomen proprium dent, ut competentes appellari poſſint; qui competentes per alteram cæremoniam, quæ ſcrutinium, ſeu examen apellatur, explorantur an firmiter credant; quo peracto ſubſequitur tertia cæremonia, qua abrenunciatur Diabolo, & pompis ejus, contra Wolfangum Muſculum, & Joannem Caſimirum, Sacerdotem abrenunciationem Diabolo & pompis ejus à puero requirentem, cùm hoc Deus non requirat, ut ipſi ajunt, improbantes; ad quartam cæremoniam ſpectat fidem profiteri, contra eumdem Wolfangum, & Bezam. Huic cæremoniæ, accedit quinta, quæ eſt ſignum crucis in fronte, & pectore Baptizandi efformatum à Sacerdote, vel Clericis, adversùs Julianum Apoſtatam; & Calvinum, qui negat ſignum crucis eſſe Apoſtolicam traditionem, aſſeritque ſolùm eſſe figmentum Papiſtarum; adeòque ſigno crucis ſe, vel alios ſignare nequaquam initium habuit à Montaniſtis. Sexta cæremonia eſt adjuratio Dæmonis determinatis precibus facienda, ut à Baptizando recedat; & hæc exorciſmus vocatur, contra Ulpianum, Julianum Pelagianum, Wolfangum Muſculum, Joannem Calvinum, Magdeburgenſes, Bezam, & Nico-

laum Hemmingium. Huic ſextæ cæremoniæ annectitur ſeptima, quæ eſt exſufflatio, per quamactionem denotatur Dæmonis expulſio, repugnantibus Calvino, & Beza. Sequitur deinde octava cæremonia, qua Baptizando Sal guſtandum datur, ut accipiat ſalem ſapientiæ in vitam æterternam teſte D. Gregorio Magno. Unde perperàm docet Wolfangus ſalis uſum eſſe obſervantiam Moſaycæ legis, & in ea lege præceptum, minimè autem in Sacramentis novæ legis adhibendum. Nona autem cæremonia tanguntur nares, & aures Cathecumeni, eique dicitur Ephpheta, quam actionem improbat Wolfangus aſſerens Baptizandum per talem tactum non illuminari, ſed conſpurcari, & Calvinus eam actionem ridiculam appellat, & ludibrium, quod & dicit Beza. Decima cæremonia eſt impoſitio manuum Sacerdotis, ejuſdemque benedictio. Undecima unctio Olei benedicti. Poſtrema tandem reſpectivè ad adultos eſt abſtinentia ab eſu carnium, & exercitium operum pœnalium, quod quidem non eſt in ordine ad ſatisfactionem præbendam, ſed tantùm ad ſanctè recipiendum Baptiſma præparatio.

VIII. Cæremoniæ quæ in ipſo Baptiſmo adhibentur ſunt primò nominis impoſitio contra Illyricum, qui ſumma inſcitia docuit Apoſtolorum tempore uſum non habuiſſe talem cæremoniam, & pro ſua ſententia roboranda affert exemplum Eunuchi Reginæ Candacis, qui poſt ſuſceptum Baptiſma adhuc Eunuchus nominatus fuit. Altera cæremonia eſt ſuſceptio de ſacro fonte, adeòque debent dari ſuſceptores, ut vocantur ab Areopagita, vel communiter Patrini, contra Anabaptiſtas ſuperfluum, & ſuperſtitioſum fidei juſſorum, & Patrinorum uſum blaterantes, unà cum Magdeburgenſibus ridiculam hanc eſſe cæremoniam effutientibus. Aquæ conſecratio, ſeu benedictio eſt alia Baptiſmi cæremonia, quem uſum improbarunt olim Waldenſes, Flagellan-

tes,

Digitized by Google

tes, Gualterus, Wicleffiſtæ, Thaboritæ, Martinus Lutherus, Calvinus, Magdeburgenſes, Tilmannus. Poſtremò trina merſio, qua aliquæ regiones utuntur non eſt improbanda. Quæ trina merſio eſt ad ſignificandas tum tres divinas perſonas, in quorum nomine baptizamur, & etiam ad demonſtrandum triduum ſepulturæ, contra Arianos, qui trina merſione utebantur ad ſignificandas tres naturas trium perſonarum.

IX. Suſcepto baptiſmate aliæ ſubſequuntur cæremoniæ, quorum prima eſt oſculum pacis, ut jam inter fratres cognoſcatur, qui per Baptiſmum Chriſto nomen dedit, altera cæremonia eſt unctio Chriſmatis in vertice ad differentiam Confirmationis, qua ungitur confirmandus in fronte, quam Sacram Unctionem reſpuerunt Novatiani, Donatiſtæ, Petrobruſiani, Wicleffiſtæ, Martinus Lutherus, Calvinus, & Beza. Pro tertia cæremonia eſt cereus accenſus ad denotandam gratiæ receptionem, & translationem à tenebrarum poteſtate ad lumen, & ſortem Sanctorum, adversùs Joannem Calvinum, & Theodorum Bezam. Poſtrema tandem, & ultima cæremonia eſt uſus veſtis candidæ ad indigitandam innocentiam vitæ. Quam ceremoniam ſequentibus verbis improbat Theodorus Beza. Epiſt.8. *Placuit aliis vetere homine depoſito novum induentes amictu albo donari; quæ omnia ſi velim perſequi, quis tandem erit hiſtrionicarum potius ineptiarum, quàm Chriſtianorum rituum finis?*

Digitized by Google

De Sacramento Confirmationis.

I. SAcramentum Confirmationis rejecere Novatiani, ex eo quia Novatus in lectulo ob ægritudinem baptizatus, dum deinde convaluit confirmationem non recepit, quod Sacramentum, & Arianos contempſiſſe ſatis evincunt geſta catholicorum Epiſcoporum qui ab Arianiſmo ad Eccleſiæ gremium revertentes ſacro Chriſmate inungebant. Donatiſtas etiam hoc Sacramentum parvipendiſſe teſtis eſt Optatus; quod & præſtiterunt Armeni, & Flagellantes, qui hoc Sacramentum abſolutè negabant. Wicleffus autem tametſi hoc Sacramentum apertè non impugnaverit nihilominus docuit illud non probari ex ſacræ Scripturæ teſtimoniis. Hinc Confirmationis Sacramentum non eſt pura cæremonia, ut exiſtimavit Melancthon, neque aliquod figmentum, ut docuit Calvinus, vel tantummodò Occidentalis Eccleſiæ ritus, ut jactant Magdeburgenſes, ſed eſt confirmatio verè, & propriè ſecundùm novæ legis Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, cujus materia eſt Chriſma, ſeu unctio. Contra Kemnitium ſacrum Chriſma pinguedinem illuſoriè nuncupantem, & Calviniſtas, qui proprias ocreas ſacro Chriſmate inungebant. Non autem Oleum ſimplex eſt materia confirmationis, ſed Oleum mixtum balſamo; quod quidem naturale eſſe debet. Chriſma autem prout eſt materia confirmationis prius conſecratum, ac benedictum eſſe debet. Imò Unctio ut ſit proxima hujus Sacramenti materia in fronte baptizati confirmandi fieri debet. Forma tandem hujus Sacramenti ſunt verba illa *conſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

II. Effectus Confirmationis eſt gratiam gratum facientem

tem conferre, & quidem majorem, quàm quæ in Baptiſmo recipiatur in ordine ad roborandam animam contra Dœmonis impetus, eſtò minorem conferat gratiam quoad remiſſionem peccati; non enim remittit totam pœnam ſicut facit gratia in Baptiſmo. Alter effectus Confirmationis eſt impreſſio characteris, quapropter eſt initerabile hoc Sacramentum, ſicut Baptiſmus. Contra hanc noſtram Concluſionem pugnant omnes hæretici à nobis ſuperius allati, qui vel negant hoc eſſe Sacramentum, vel Sacramentorum vim, & efficaciam contendunt, vel reſpuunt audire ab aliquibus Sacramentis imprimi ſignum aliquod ſpirituale, ut eſt character.

III. Solus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius Sacramenti Confirmationis; & hoc dicimus contra hæreticos, qui licèt negent hoc eſſe Sacramentum dicunt tamen in ſuppoſitione quòd eſſet non ad ſolos Epiſcopos pertinere, hujuſmodi ſunt inter alios Wicleffus, Calvinus, & Kemnitius; dixi inter alios, quia hi directè manifeſtant propriam opinionem. De reliquis autem & idem prudenter affirmari poterit; cùm minimum agnoſcant diſcrimen inter Epiſcopum, & Sacerdotem.

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

I. IN Sacramento Euchariſtico ſub ſpeciebus panis, & vini veram Jeſu Chriſti carnem, & verum ejus ſanguinem exhiberi docet Fides, probant PP., Sacræ paginæ evincunt. Unde præter Capharnaitas, qui ad invicem dicebant. *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum* refellendi ſunt Simon Magus, & Menander,

qui

Digitized by Google

qui realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia confiteri nolebant; Manichæi qui Chriſti corpus exangue eſſe contendebant, Armeni, qui Euchariſtiam nequaquam corpus Dominicum, ſed ejus ſignum eſſe docebant; Iconomachi, qui panem, & vinum Chriſti corpus, & ſanguinem ſolummodò repræſentare effutiebant. Pauliciani, Valentiniani, & iterum Manichæi, qui opinabantur Euchariſtiam eſſe verba illa Domini *Accipite*, *comedite*, *& bibite*, itaut numquam Chriſtus Dominus panem, & vinum in hujus ineffabilis Sacramenti inſtitutione adhibuerit; Bertramus Presbyter, qui in ſuo libro edito dubitavit an in Euchariſtia ſit illud Domini corpus, quod de Virgine efformatum, & natum eſt; Bogomili dicentes Euchariſtiam eſſe Orationem illam quæ incipit *Pater Noſter*; Berengarius, qui poſt conſecrationem ſenſit Euchariſtiam eſſe Chriſti corporis figuram, non autem ipſum reale corpus; Petrobruſiani exiſtimantes ſolummodò in ultima cœna datum fuiſſe Corpus, & Sanguinem Domini ſub ſpeciebus panis, & vini. Imposterùm verò hoc eſſe omninò impoſſibile, & merum figmentum, Albigenſes, qui dicebant Chriſti corpus per immenſitatem eſſe in Sacramento Altaris, Lollardi, & Flagellantes, qui negarunt Chriſti corpus in Euchariſtia, quod & dixit Wicleffus, dum docuit Chriſtum non eſſe in Hoſtia conſecrata ſua præſentia corporea. Tandem hoc Sacroſanctum Myſterium Domini noſtri Paſſionis memoriale perenne, Amoris vinculum impetere conati ſunt Lutherus, Caroloſtadius, Zuinglius, OEcolampadius, Wolfangus, Bullingerus, Calvinus, Viretus, Svenckfeldius, Petrus Martyr, Gualterus, Leonardus, & alii, de quibus ſermo erit in ſequentibus Concluſionibus.

II. Nulla adeſt contradictio, ratione cujus idem corpus nequeat eſſe in pluribus locis, adeòque impoſſibilitatem Myſterii Euchariſtici ex hoc capite non benè probant Wiclef-

Digitized by Google

cleſſus, Calvinus, Petrus Martyr, Theodorus Beza Joannes Candidus, Lambertus Danæus. Quam impoſſibilitatem licèt negarint Sacramentarii, tamen Berengario præeunte docuere poſſibile quidem eſſe corpus pluribus in locis exiſtere, negarunt tamen, Deum voluiſſe, aut feciſſe, ut realiter Chriſti corpus in Euchariſtia exiſtat. Quare Cœlius panem, & vinum tantummodò ſignum Corporis, & Sanguinis Domini eſſe exiſtimavit; cui opinioni maximè plaudunt Benedictus Aretius, Guillelmus Kleinwitzius, Ludovicus Lavatherus, Nicolaus Hemmingius, Abdias Liberinus, Joannes Sturnius, & Bernardinus Ochinus; qui tropicè intellexit verba illa *hoc eſt corpus meum*, contra quos omnes dicimus per verba conſecrationis deſinere eſſe in pane ſubſtantiam, & formam panis, ſolis ſpeciebus panis relictis. Quapropter tranſubſtantiatio dici nequit impanatio, ut volebat Guitmundus; neque pariter in tranſubſtantiatione à verbo panis aſſumitur mediante Chriſti corpore, ut opinio erat Joannis Pariſienſis, adeòque panem non remanere cum corpore Chriſti eſt de fide, & conſequenter non eſt aliquod problematicum, ut docebat Lutherus, cujus opinionem ſequuntur Lutherani cum Brentio, & Kemnitio, licèt magis ipſi faveant impanationi, quàm tranſubſtantiationi, hanc tamen tranſubſtantiationem totaliter, & adæquatè negant Calviniſtæ à Calvino edocti.

III. Sacramentum Euchariſticum, vel panis ritè conſecratus, vel meliùs corpus Dominicum ſub ſpeciebus panis contentum eſt verè & propriè Sacramentum, ſive ſumatur, ſive in cuſtodia reſervetur, contrariam opinionem diverſis terminis amplectuntur modò Lutherani, & Calviniſtæ, hæreticam doctrinam accipientes à Bucero, qui primus author oppoſitæ Catholicis ſententiæ fuit, cui nomen dedere poſtmodùm Zuingliani, Philippus Melancthon, Brentius, Matthias Illyricus, & Kemnitius.

Hu-

Digitized by Google

IV. Hujus Sacramenti materia debet eſſe panis triticeus, & vinum ex vite, ſi verò quæras an panis debeat eſſe azimus, vel fermentatus, dico utrumque eſſe materiam aptam ad conficiendum Sacramentum Euchariſticum contra Hieremiam Conſtantinopolitanum dicentem hoc Sacramentum non poſſe confici in azimo; quandoquidem Chriſtum Dominum conſecraſſe in azimis validiſſimæ probant rationes, quarum maxima eſt Chriſtum hoc inſtituiſſe Sacramentum die 14. Menſis primi ad veſperam ſecundùm legem, & morem Hæbreorum, qua die non licebat Judæis uti fermentato. Materia autem conſecrationis Calicis certum eſt de fide eam debere eſſe vinum ex vite, contra Ebionitas, & Tatianos, qui ſobrietatis gratia ſolam aquam offerendam dixerunt; & contra Aquarios, qui metu perſecutionis ne ex halitu dignoſcerentur Chriſtiani, in aqua manè conſecrandum eſſe putabant; Veſpere autem ſervandam eſſe Chriſti inſtitutionem docebant. Quòd autem Romani Pontifices in aqua conſecrare olim conſueverint calumnia eſt Magdeburgenſium. Aquam autem cum Vino in Calice miſcendam Chriſti inſtitutionem eſſe Liturgia B. Jacobo Apoſtolo attributa teſtatur. Quare omninò aqua vino eſt admiſcenda, contra Armenos, & Orientales aliquos, Lutherum, Calvinum, & Kemnitium.

V. Forma Sacramenti Euchariſtici ſunt verba illa Domini *hoc eſt corpus meum, hic eſt Calix Sanguinis mei &c.* quæ verba abſolutè, & ſimpliciter ſunt omninò de eſſentia formæ conſecrationis; reliquæ autem voces ut tò *enim* in conſecratione utriuſque ſpeciei, & aliæ quibus Eccleſia utitur in conſecratione Calicis, & ſi non ſint de eſſentia formæ conſecrationis, adhuc tamen ad integritatem formæ ita ſpectant, ut illicitè quis eas ommitteret, contra Lutherum, Bucerum, Calvinum, & Kemnitium.

VI. Solus Sacerdos poteſtatem habet conficiendi Eucha-

Digitized by Google

chariſtiam, itaut nemo poſſit validè hoſtiam, & Calicem conſecrare, niſi habeat Sacerdotalem dignitatem, de qua veritate olim dubitavit Wicleffus, & contra ipſum implicitè pugnavit Lutherus, qui docuit verum futurum Sacramentum, etiamſi à Diabolo conficeretur, à qua blaſphemia Sacramentarii recedentes præeunte Zuinglio hæſitantes adhuc reliquerunt Lutheranos:

VII. Laicorum communio ſub una tantùm ſpecie panis ſanctè probanda eſt, & in Eccleſia mos eſt uſitatus, quam veritatem in dubium revocare conati ſunt Joannes de Berzibram cum Bohemis, & Martinus Lutherus, dum eam ſub utraque ſpecie neceſſariam contendunt Petrus Dreſdenſis, Jacobus Miſnenſis, Joannes Huſſus, Philippus Melancton, & Calvinus. Juſtis autem de cauſis Eccleſia prohibuit communionem laicam ſub utraque ſpecie, quas quærenti aſſignare parati ſumus:

VIII. Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ritè ſumentibus gratiam conferre Catholicorum nemo dubitavit, contra Archonticos, Meſſalianos, & Armenos. Quare Tandemus dictitare ſolebat Corporis, & Sanguinis Chriſti perceptionem ad ſalutem nihil prodeſſe; quod & docebant novi Manichæi de ſacra Euchariſtia in Romana Eccleſia confecta, quam vanum, & inane ſacramentum appellabant; quapropter Albigenſes venerandum Euchariſtiæ Sacramentum dicteriis, & blaſphemiis inſultabant. His acceſſit Martinus Lutherus, qui hæreticos appellavit DD. ſuſtinentes non ponentibus obicem gratiam conferri per Euchariſtici Sacramenti ſuſceptionem, quæ opinio videtur non diſplicuiſſe Melancthoni dicenti Baptiſmum, & participationem Menſæ Domini nihil eſſe. Diximus autem in concluſione ritè ſumentibus Euchariſtiæ Sacramentum gratiam conferre; eſt enim panis vitæ contra Caroloſtadium aſſeverantem Sacramentum Euchariſticum nequaquam eſſe pa-

nem vitæ, idemque eſſe accipere Chriſti corpus, ac pugnum hordie in ordine ad remiſſionem peccatorum. Eſt etiam noſtrum aſſertum contra Oecolampadium, Uldaricum Zuinglium, Rodulphum Gualterum, Germanum Bavarum, & Danielem Toſſanum, qui diverſis terminis ſentiunt cum Caroloſtadio.

De Incruento Miſſæ Sacrificio.

I. SAnctum eſſe, & frequenter juxta ritum Eccleſiæ Orthodoxæ incruentum Miſſæ Sacrificium offerendum ſuſtinemus contra Bogomilos tantum Sacrificium contemnentes, Pſeudo-Apoſtolos negantes eſſe Sacrificium; Waldenſes ſemel in anno, in cœna ſcilicet Domini offerendum exiſtimantes, Lollardos hoc ſanctum Sacrificium vanitatem appellantes, Joannem Wicleffum à Chriſto eſſe negantem, poſtremò contra Martinum Lutherum, Joannem Calvinum, Nicolaum Hemmingium, Jacobum Herbrandum.

II. In Miſſa verum Sacrificium offerri ſuſtinemus, demonſtraturque, tum ex Melchiſedechii ſacerdotio, qui panem, & Vinum Deo offerens Chriſti Sacerdotii typum geſſit, contra Calvinum, Kemnitium, & Petrum Martyrem, quorum ultimus contendit Panem, & Vinum Deo non fuiſſe oblata, Calvinus autem, & *Kemnitius* non ſolùm aſſeverant Deo non fuiſſe oblata, verùm & ulteriùs addunt tantummodò Abrahæ è prælio revertenti in refectionem fuiſſe prolata; quod ſecundùm nos libenter concedimus, inſuper tamen addimus Panem, & Vinum prius Deo oblata, deinde Abrahæ, & Sociis ejus data, non quidem præcisè in refectionem, ſed ad hoc, ut quatenus oblata, & conſecrata homines illi de Sacrificio participarent. Tum etiam illud

idem,

Digitized by Google

idem, ſcilicet in Miſſa verum Sacrificium offerri evincitur ex verbis Malachiæ cap. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum*. Quæ verba utique de incruento Miſſæ Sacrificio dicta ſunt; quandoquidem ea nequaquam ſpirituali Sacrificio applicari queunt contra unanimem SS. PP. ſive Latinorum, ſive Græcorum conſenſum, errantibus Philippo Melancthone, Calvino, & Kemnitio, qui verba illa de ſpiritali Sacrificio dicta arbitrantur; tandem verba Malachiæ applicari nequeunt Sacrificio Crucis, nec explicari poſſunt pro oblatione facta à piis inter gentes.

III. Miſſæ Sacrificium eſt verè & propriè nedum propitiatorium, verùm etiam, & impetratorium; cui Concluſioni obſiſtunt omnes illi hæretici, qui negant Miſſam eſſe Sacrificium, præcipui autem ſunt Lutherus, Calvinus, & Kemnitius.

IV. Offerri poteſt Miſſæ Sacrificium pro viventibus, quorum nomine intelliguntur homines in hac vita degentes, & intra Eccleſiæ gremium exiſtentes ſive juſti, ſive peccatores ſint. Non tamen pro hæreticis, & publicè excommunicatis, pro quibus publica oratio fieri nequit ex prohibitione S. M. E. [cap. *à nobis*] Sacrificium offerri poteſt, cùm hoc Sacrificium ſemper ſit publicum. Pro ſchiſmaticis verò Sacrificium offerri poſſe, indirectè tamen, affirmare non recuſo. Sic etiam pro infidelibus Sacrificium offerri ita poteſt, ut Sacrificium applicetur pro converſione infidelium, non quidem aliquid addendo ad Miſſæ Sacrificium contra Eccleſiæ inſtitutionem, & praxim, ſed intentionem dirigendo ad talem converſionem, intendendo directè Sa-

Digitized by Google

crificium offerre pro incremento, pace, & unitate Eccleſiæ, quæ inter æthnicos verſatur, quo pacto Miſſæ Sacrificium offerre poſſe pro hæreticis videtur. Prodeſt etiam Miſſæ Sacrificium Defunctis in Purgatorio exiſtentibus, adeòque pro illis ritè Sacrificium offertur. Oppoſita ſententia eſt Aerii dicentis pro defunctis Sacrificium non eſſe offerendum, quam opinionem deinde obſignarunt Calvinus, Kemnitius, & Melanchon, & ab illa diſcedere non videntur Athei, qui negant animam adhuc poſt mortem corporis vivere, & Lutherani, aliique omnes hæretici, qui Purgatorio denegant exiſtentiam.

V. Uſus Miſſæ privatæ, ſive tò privatum, vel peculiare accipiatur ex eo, quòd privato ſacello Sacrificium offeratur, ſive a tempore, ſcilicet quo diſtinguatur Miſſa celebrata die feriali, à Miſſa celebrata die feſto; ſive ab aliqua particulari cauſa, vel neceſſitate; ſive ex eo quia pro aliquo defuncto in particulari offeratur, ſive à paucitate adventantium, nullatenus eſt improbandus abſolutè loquendo, contra Lutherum, Philippum Melanchonem, Brentium, & Kemnitium.

VI. Ex ſanctiſſima Eccleſiæ Ordinatione ſtatutis horis, ſcilicet, antemeridianis Miſſæ celebrandæ ſunt, contra Waldenſes, Lutherum, & Wolfangum, & jejuno ſtomacho Euchariſtiam conſecrandam, & ſumendam eſſe in obſequium tanti Sacramenti eſt nunc ſanctus Romanæ, & Orthodoxæ Eccleſiæ ritus, & doctrina contra Waldenſes, & Lutherum.

De

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. POEnitentiæ vox non dicit præciſè mentis mutationem, reſipiſcentiam, aut erroris agnitionem, ſed ulteriùs juxta Idioma ſive Hebraicum, ſive Græcum, ſive Latinum dicit deteſtationem peccati, & vindictam ſpontè aſſumptam. Contra Laurentium Valla, Eraſmum, Theodorum Bezam, Martinum Lutherum. Pœnitentia autem eſt quartum novæ legis Sacramentum, & eſt omninò lapſis neceſſarium, efficax, & ſalutare ad amiſſam gratiam recuperandam poſt baptiſmum. Quare errarunt Montaniſtæ Eccleſiæ fores ad omne fermè delictum obſerantes, Novatus ita remiſſionem prolapſis Deo tribuens, ut Sacerdotibus denegaret poteſtatem abſolvendi pœnitentes contritos, & confeſſos. Hoc autem Pœnitentiæ Sacramentum omninò contempſere Martinus Lutherus, Philippus Melancthon, & Melchior Hoffmannus, qui ad tantam impietatem progreſſus eſt, ut docuerit hominem ſemel accepta gratia denuò peccantem, numquam in gratiam rediturum, à cujus opinione videtur non recedere Wolfangus; Imò Joannes Iſlebius docuit Pœnitentiæ Sacramentum nullatenus eſſe docendum, inſuper addens, ut quantumvis impura, & impia ſit cujuſcumque hominis vita, eum tamen juſtificari, dummodò Evangelii promiſſionibus credat. Exceſſit tamen Calvinus, qui nedum Pœnitentiam Sacramentum eſſe negavit, ſed & ſubdidit impiam eſſe Hieronymi ſententiam aſſerentem Pœnitentiam ſecundam eſſe poſt naufragium tabulam, deindeque addit mendacium eſſe, & impoſturam, quidquid de tanto Sacramento à Catholicis fatur. Si ergo ex D.Hieronymo ſecunda poſt naufragium tabula Pœnitentia dicitur, certè nequaquam Petrus Lombardus fuit, qui

pri-

primus Pœnitentiam eſſe Sacramentum dixerit, ut falsò notavit Kemnitius; & nos contra ipſum afferre poſſumus pro Sacramento Pœnitentiæ à Chriſto Domino inſtituto illa verba Redemptoris, Joannis 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt*. Quibus verbis optimè à Chriſto inſtitutum Pœnitentiæ Sacramentum infertur.

II. Pœnitentia eſt Sacramentum diſtinctum à reliquis Sacramentis, & conſequenter, & à Baptiſmi Sacramento omninò diſtinctum, reclamantibus, ſed perperàm Martino Luthero, qui Pœnitentiæ ſignum dixit eſſe Baptiſmum, Philippo Melancthone, Calvino, & Kemnitio idem ſentientibus.

III. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ ſunt peccata, forma autem ſunt verba illa; *Ego te abſolvo à peccatis tuis*. Verumtamen pronomen *Ego* & verba illa *à peccatis tuis* non ſunt omninò neceſsaria, & de eſſentia Sacramenti, ſed ad ejus eſsentiam ſufficiunt verba illa *abſolvo te*. Nonniſi autem abſurdè dicitur Pœnitentiæ Sacramentum ex Baptiſmo, & abſolutione conſtare, vel Sacramentum Pœnitentiæ conſtitui ex recordatione Baptiſmatis, & abſolutionis, quod dicimus contra omnes hæreticos ſuperiùs allatos, qui nullam agnoſcunt diverſitatem inter Baptiſmum, & Pœnitentiam, quibus addes Illyricum.

VI. Confeſſio, contritio, & ſatisfactio partes ſunt materiales Pœnitentiæ, contra Martinum Lutherum, qui ſolam contritionem aliquando admiſit, unà tamen cum fide, ſeu potius fiducia certa de peccatorum remiſſione orta ex Evangelii pollicitatione, quod commune eſſe videtur Lutheranis, aliis tamen terminis, & Tilmanno Hesbuſio, unà cum Martino Kemnitio. Eſt etiam noſtra Concluſio contra Philippum Melancthonem, qui, præter ea, quæ à Luthero tradita fuere, addidit ex proprio novam obedientiam; Item

eſt

Digitized by Google

eſt contra Calvinum, qui partes Pœnitentiæ conſtituit in mortificatione, & vivificatione, ſed non eo ſenſu quo Lutherani; Ille enim nomine mortificationis intelligebat expoliationem veteris hominis, vivificatione verò pium vivendi ſtudium, atque ad bona opera affectum. Illi per mortificationem errores incuſſos, per vivificationem fiduciam ex Evangelio conceptam accipiebant.

V. Axioma eſt Lutheranorum contritionem non eſſe liberam, ſed coactam, itaut non ſit homo, qui ſe conterat, ſed Deus malleo legis, & minarum hominem conterens, adeòque actionem eſſe negant, eamque veluti meram paſſionem agnoſcunt, addentes ulteriùs contritionem ad legem, & non ad Evangelium pertinere; & denegantes omnimodam prorſus bonitatem contritioni, autumant ipſam omni bono opere hominem ſpoliare; maledictiſve eum replere. Hæc Lutherus unà cum Lutheranis, qui Rigidi dicebantur, quibus acceſſit Kemnitius, qui contritionem appellavit fremitum adverſus Deum, quæ impia dogmata ex eo ortum habuere, ut contritionem crediderint eſſe terrorem conceptum ex conſideratione peccatorum, & ſuppliciis, quæ divina lex peccatoribus comminatur, contra quos errores ſtatuimus, contritionem non eſſe terrorem ex minis legis conceptum, neque eſſe paſſionem, ſed actionem non quidem coactam, ſed liberam, ad Evangelium, non autem ad legem præcisè pertinentem, quæ tamen ſine ſpecialiſſimo Dei auxilio obtineri non poteſt, contra Martinum Kemnitium, quæ contritio includere debet odium, & deteſtationem peccati præteriti, adeòque non ſufficit juſtitiæ amor, & nova vita, ut à Religione, & fide Apoſtatans Lutherus docuit: includit etiam contritio propoſitum rectè vivendi, ſeu vitæ melioris propoſitum firmum. Contritio autem ſaltem imperfecta omninò neceſſaria eſt ſaltem in adultis neceſſitate medii ad remiſſionem peccatorum, & juſtificatio-

nem

Digitized by Google

nem obtinendam ; & inſuper extat de contritione divinum præceptum contra Lutherum , Calvinum , & Kemnitium ; contra quos etiam dicimus ad contritionem perfectam non requiri , ut dolor ſit æqualis magnitudini iræ divinæ ; ſed ſufficit , ſi hujuſmodi ſit ſummus appretiativè , non autem neceſſe eſt ut ſit ſummus intenſivè . Imò perfectæ contritionis eſt virtus tanta , ut ſi votum Sacramenti Baptiſmi , vel abſolutionis adjunctum habeat,omninò hominem juſtificat, etiam antequam Sacramentum in re percipiatur . Tandem contritio imperfecta , quæ , & attritio dicitur ex pœnæ timore orta utilis eſt , & bona eaque ſupernaturalis; adeòque non reddit hominem hypocritam ut docebat Lutherus . Sed eſt verè , & propriè timor , qui & initium dilectionis Dei eſt .

VI. Habita contritione perfecta , vel ſaltem imperfecta coram Sacerdote omnium peccatorum confeſſio facienda eſt ; à qua ſententia videntur recedere Montaniſtæ qui erubuere confiteri peccata ; Novatiani auricularem confeſſionem , & ſacramentalem abſolutionem negantes , Jacobitæ aſſerentes non quidem coram Sacerdote , ſed ſolùm coram Deo peccata exponenda ; quibus acceſſere Waldenſes , & Armeni , qui tantummodò genericam , non autem ſpecificam peccatorum confeſſionem admittebant , quam Petrus Oximenſis dicebat non eſſe de jure divino ; & ulteriùs progrediens Eraſmus docuit nedum non eſſe de jure divino , verùm nec in uſu fuiſſe apud antiquam Eccleſiam . Abſolutè autem hanc Sacramentalem peccatorum confeſſionem negarunt Albigenſes , Flagellantes , Wicleffus , Martinus Lutherus, Melancthon, Zuinglius , & Calvinus . Advertimus tamen Confeſſionem de ſe eſſe in duplici differentia , quarum una dicitur confeſſio laudis, de qua Chriſti exemplum laudis confeſſionem emittentis habemus apud Matthæum cap.11. *Confiteor tibi Pater Domine cæli , & terræ , quia*

ab,

abſcondiſti hæc à ſapientibus; & Pſal.66.*Confiteantur tibi populi Deus*. Et altera quæ eſt pars Pœnitentiæ eſt Confeſſio peccatorum. Quæ quidem Confeſſio peccatorum licèt poſſit eſſe triplex, interior ſcilicet, qua ſoli Deo peccata confitemur, ejus miſericordiam implorando, de qua habemus Pſal.50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*. Altera fraterna, de qua Jacobus Apoſtolus loqui videtur in ſua Epiſtola; *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini*. Tamen hæ duæ confeſſiones ſunt potius partes doloris conterentis, vel atterentis, & ſacramentalem coram Sacerdote faciendam confeſſionem præcedentis, quàm vera confeſſio. Quare tertia, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ propriùs pertinet eſt vera & propria confeſſio. Quæ item duplex eſſe poteſt vel publica, quæ fieri ſolet à Sacerdote nomine totius populi, & etiam comitante ipſo populo Sacerdotem, cujus exempla plurima extant in ſacris paginis præcipuè Nehæmiæ 9. & Levitici 19. alia privata, quæ eſt materia præſentis controverſiæ.

VII. Novatianorum erat opinio exigens à lapſis opera ſatisfactoria; ita tamen ut iis à pœnitentibus præſtitis, nec eos abſolverent, nec in Eccleſiam reciperent Novatiani; ex oppoſito vero Audeani nullam pœnitentibus pœnalitatem injungebant; Meſſaliani quoque graviſſimis delictis coinquinatis inutilem pœnitentiæ fructum, vanam, & irritam ſacerdotalem abſolutionem exſtimabant; quam ſententiam non amplectentes novi Manichæi docuerunt abſolutionem à peccatis obtineri nulla vel exhibita, vel acceptata ſatisfactione dummodò eorum ſectam, & ordinem ſervarent, quod & pro ſecta propria propugnabant Piccardi. Martinus tandem Lutherus omnem ſatisfactionem pro peccatis ſubſtulit; cui manus dedere Melancthon, & Calvinus, contra quos omnes aſſerimus culpa dimiſſa temporalem pœnam

Digitized by Google

remanere exolvendam, & pro ea ſatisfieri, orationibus, eleemoſynis, jejuniis, ſui ipſius afflictatione. Quare verè contriti, & confeſſi ſi ante præſtitam ſatisfactionem deceſſerint, Purgatorii pœnis ad definitum tempus torquendi ſunt; contra Armenos Purgatorium negantes, quibus accedunt Græci, & Moſcuitæ, qui poſtremi funebre ſacrum pro defunctis exhibentes Purgatorii tamen exiſtentiam denegant unà cum Waldenſibus, Luthero, Zuinglio, Petro Martyre, Joanne Calvino, Bullingero. Pœnas autem purgatorii Sacrificiis, Jejuniis, Orationibus, & Eleemonis mitigari ſuſtinemus, contra Flagellantes iniquiſſimè docentes, quòd exequiæ & vigiliæ pro defunctis nihil aliud præſtent niſi vivis aliquale ſolatium, & Clericorum marſupiis incrementum. Quòd autem dimiſſa culpa reatus temporalis pœnæ maneat, exemplum erit in Davide, quem cùm Nathan Propheta de adulterio cum Berſabee, & de homicidio Uriæ objurgaſſet, & ille corde compunctus dixiſſet [2.Reg.12.] *Peccavi Domino* ſtatim audivit ab eodem Propheta *Tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum* verùmtamen ne quis diceret dimiſſa culpa nullam ſupereſſe exolvendam pœnam illicò ſubdidit *Verumtamen, quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter hoc filius, qui natus eſt tibi morte morietur*. Nec ea pœna expleta ſtetit Dominus, ſed gravibus aliis malis, quæ Propheta comminatus eſt Regem afflixit, ſtuprata eſt filia, conjuges, interfecti filii Ammon, & Abſalon, ipſeque maximo cum dedecore Regno expoliatus Hieroſolymis diſceſſit.

Digitized by Google

De Sacramento Extremæ Unctionis.

I. EXtremæ Unctionis Sacramentum non à B. Jacobo Apoſtolo inſtitutum, ut opinio erat Lutheri; ſed à Chriſto Domino immediatè traditum, & inſtitutum fuit: Hoc autem verum eſſe Sacramentum Catholicorum nemò in dubium revocare eſt auſus. Illud autem Sacramentum extremæ Unctionis dicitur, non quòd hæc unctio extrema ſit, nam & reiteratur, ſi morbus depulſus ſubinde redierit. Per Eccleſiam autem potiſſimùm hac ratione miniſtratur, non ut ægrotus eo percepto ſtatim vita defungatur, ſed potius, ut non ſolùm mente, ſed & corpore ſi animæ ſaluti non obſit, & Deo ita viſum fuerit, convaleſcat, quod preces in adminiſtrando hoc Sacramento adhiberi ſolitæ apertiſſimè declarant. Hoc autem Sacramentum niſi Infirmo de cujus morte timetur dari non debet; Infirmus autem ungendus eſt in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. In fœminis autem unctio renuum ommittitur honeſtatis gratia. Quare affirmamus Sanctum eſſe hoc Sacramentum, & verum, ſummèque perutile contra Lollardos de hoc Sacramento perunctis aſſerentes olera quo magis eſſe oleo condita eo eſſe meliora, quam doctrinam accepere ab Albigenſibus, qui vanum eſſe hoc Sacramentum, & inane dictitabant; quod quidem improperiis cumulabant Waldenſes, qui illud Sacramentum eſſe maledictionis aſſerebant.

II. Materia Sacramenti extremæ Unctionis eſt Oleum

 oli-

olivæ ab Epiſcopo conſecratum, ſeu benedictum; itaut conſecratio ſeu Epiſcopalis benedictio ſit de eſſentia hujus Sacramenti; forma autem ſunt verba prolata à Sacerdote inungente. Effectus autem Sacramenti extremæ Unctionis eſt tum ſalus corporis, ſi animæ ſaluti non opponatur, & remiſſio etiam peccatorum, quæ communiter reliquiæ peccatorum appellantur. Nomine autem Reliquiarum peccatorum hic non intelligimus vel peccata tantùm venialia, vel pronitatem ad malum ex peccatis relictam præcisè; Sed intelligimus peccata tum mortalia, tum venialia, quæ vel poſt habitam ſacramentalem confeſſionem, ſacramque Synaxim ſuſceptam commiſit ignorans iis ligari, vel peccata oblita in confeſſione, vel peccata relicta per confeſſionem ex ignorantia non ritè habitam; & etiam mærorem, & triſtitiam ex peccatis commiſſis provenientem, quæ omnia abſtergit Sacramentum extremæ Unctionis, dummodò obex non ponatur. Miniſter autem hujus Sacramenti eſt Sacerdos, & Epiſcopus ſi velit.

De Sacramento Ordinis.

I. ORdinem eſſe ſextum novæ legis Sacramentum, quo certa gratia, & ſpiritualis poteſtas quibusdam hominibus traditur ad certum, atque determinatum munus in Eccleſia Dei gerendum omninò certum eſſe ſemper orthodoxa docuit Eccleſia. Quare toto cœlo aberrare viſi fuere Meſſaliani, qui ordinationem Clericorum contemnentes in ipſa ordinatione Spiritus Sancti gratiam ſuſcipi negabant; Quam doctrinam libentiſſimè excipiens Lutherus, ut omnia confunderet Ordinem non ſolùm eſſe Sacramentum, ſed & Ordinem eſſe negavit, ab Eccleſia Chriſti ſemper ignoratum, & à Papiſtica ſuperſtitione ad inſtar oppor-

tu-

tunæ machinæ ad omnia ſtabilienda portenta inventum blaterans; cujus doctrina unde emanaverit, ex ipſis ejus verbis clarè colligi poterit, ita enim ipſe ſcribit libro de Miſſa Angulari; *Ego non dicam, quod Papiſtæ dicunt, nullum Angelorum ne Mariam quidem conſecrare poſſe: ſed è contrario dico; ſi Diabolus ipſe veniret, & ego poſtea reſciſcerem, Diabolum ſic irrepſiſſe in officium Paſtoris Eccleſiæ, in ſpecie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Eccleſia docuiſſe, & baptizaſſe, celebraſſe Miſſam, & abſolviſſe à peccatis, & tali munere functum juxtà inſtitutionem Chriſti; tunc cogeremur fateri Sacramenta ideò non eſſe ineſficacia, ſed verum Baptiſmum, verum Evangelium, verum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti nos accepiſſe*; ab hujus dæmoniaca doctrina non receſſit Melancthon, qui ulteriùs ordinem ſophiſtarum eſſe confictionem eſt arbitratus. Quapropter Calvinus lib.4. inſtit. cap.19, §.22. inter quinque falsò nominata ſacramenta, Ordini quartum locum tribuit, per hoc, quòd ex ſe ſeptem alia ſacramentalia, ut ipſe opinatur, pariat.

II. Suſtinemus ſeptem eſſe Ordines in Eccleſia, ideſt Sacerdotum, qui in duplici ſunt differentia, alii Majores, & Epiſcopi nominantur, alii minores, & Presbyteri dicuntur, (arbitramur enim in Epiſcopali ordinatione characterem imprimi, & ſpiritualem conferri poteſtatem). Hi Sacerdotes minores græcè præsbyteri vocantur, latinè autem ſeniores, qua voce utitur Apoſtolorum Princeps & totius Orthodoxæ Eccleſiæ caput Petrus in prima Epiſtola cap.5. *Seniores, qui in vobis ſunt obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum*, Diaconorum, autem eſt alter Ordo, & illi græcè Diaconi dicuntur, qui latinè miniſtri appellantur. Hi Sacerdotibus ſacra myſteria peragentibus adſtare debent, & miniſtrare, Evangeliumque pronunciare. In veteri autem Eccleſia Diaconis diſpenſatio Theſauri Eccleſia-

ſtici,

Digitized by Google

ſtici, & pauperum cura; & Eccleſiæ miniſtrorum in primi demandata fuerat, ut colligitur ex cap.6. actuum Apoſtolorum. Ulteriùs erant Diaconi veluti oculi Epiſcoporum actus totius Eccleſiæ diligentiùs perſcrutantes, & ad Epiſcopum deferentes, ut moneri poſſit ab Epiſcopo is, qui peccatis ſe implicabat. Subdiaconorum autem eſt tertius Ordo, quorum munus erat vaſa Dominici corporis, & Sanguinis ad altare deferre, & Epiſtolam canere; in veteri Eccleſia officium erat Subdiaconorum, oblationes, quæ à fidelibus in templo offerebantur, ſuſcipere, & Diaconis dare, Altaribus ſuperimponendas. Hi autem tres Ordines ſacri dicuntur & Majores, reſpectivè ad alios quatuor ordines, qui minores appellantur, horum ſupremus eſt Acolythatus, quorum munus eſt cereos accenſos dum in Eccleſia Evangelium legitur Diaconis anteferre, & hoc in ſignum lætitiæ, ut vel ſic fidelium animi cœremonia exteriori excitarentur ad contemplandam Evangelii lucem, & ad mentem erigendam ad Chriſtum, qui eſt lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Hic autem Ordo Acolythatus perantiquus eſt, & Apoſtolorum tempore in Eccleſia fuiſſe, permulta indicant monumenta. Alter Ordinum Minorum, eſt Exorciſtatus, cujus eſt poteſtatem talem conferre, ut Exorciſtæ ſuper vexatos ab immundis ſpiritibus, aut agitatos dæmoniacis illuſionibus, vel terriculamentis nomen Domini invocent, & ſpiritum immundum compeſcant. Sequitur deinde Ordo Lectorum, qui poteſtatem habent lectiones ex ſacra Scriptura depromptas præſente populo legere. Poſtremus Ordo eſt Janitorum quibus cuſtodia templi commiſſa eſt, eo præcipuè ut adſtantes templi foribus indignos ab Eccleſia arcerent. Omnes autem, & ſingulos recenſitos ordines probabiliori inhærentes ſententiæ Sacramenta eſſe dicimus.

III. Presbyteri Epiſcopis inferiores ſunt: Diaconis ſupe-

Digitized by Google

periores, atque omni honore digni, utpotè qui ſoli, ſi ritè ſint ordinati, Corpus, & Sanguinem Dominicum conficiendi, atque à peccatis ſolvendi, & ligandi poteſtatem habent. Quapropter gravi deceptus errore Aerius, Epiſcopos, & Præsbyteros eoſdem eſſe dicebat, quem errorem ſecuti ſunt Armeni, eoſque præceſſit Marſilius Patavinus; ſed error iſte etſi gravis, adhuc tamen relatè ad alium, qui contra tantum gradum invexere Waldenſes minimus cenſeri poterit, hi enim primi inveniuntur, qui explicitè dum Sacerdotibus verè conficiendi Corpus, & Sanguinem Domini, & à criminibus abſolvendi poteſtatem denegarunt, eam ipſam poteſtatem laicis Waldenſis ſectæ conceſſerunt. Quam opinionem extendens Hieronymus Pragenſis docuit homines utriuſque ſexus Sacrum poſſe conficere, & quæcumque alia Sacramenta aptis verbis prolatis efficere, atque conferre, ulteriùs addens ea majoris eſſe virtutis, quàm quæ à Præsbyteris Romanæ Eccleſiæ conſecrantur. Quæ opinio non diſplicuit Luthero, qui eò progreſſus eſt, ut Diabolo etiam poteſtatem conficiendi tribueret, & omnibus omninò utriuſque ſexus hominibus concederet, cum ea tamen reſtrictiva, ut publica authoritate, qui nati, & creati erant Sacerdotes ad miniſterium vocarentur, & hoc ob eam rationem quòd cùm omnium eſſet commune miniſterium, nemo peculiariter illud ſibi debebat arrogare, niſi publica authoritate vocatus. Quare Sacerdotium à Romana Eccleſia excludere conatus eſt Calvinus, qui Epiſt. 190. ſcripſit. *Totum Sacerdotium papiſticum non ſolùm impia eſt veri myſterii prophanatio, ſed execrabilis in Chriſtum contumelia, ut quiſquis eſt Sacerdos Papalis donec titulum illum abjecerit Chriſti ſervus eſſe non poſſit.* Hinc ex occaſione Sententiæ Lutheri notandum eſt quòd quamvis omnes Chriſtiani ſint Sacerdotes, quatenus ſpirituales Hoſtias Deo offerre, & nomen ejus in omni loco utiliter invocare poſſunt, non omnes

nes tamen ſunt Eccleſiæ Miniſtri tales, quales ſunt ritè ordinati. Undè duplex dicitur eſſe ſacerdotium, unum internum, & ſpirituale, quod eſt omnibus Chriſtianis ſaltem piis commune, qui Chriſti ſummi Sacerdotis, ac Regis membra per baptiſmum ſunt effecti. De hoc Sacerdotio intelligitur illud Petri Apoſtoli, quo alloquitur omnes Chriſtianos [1. Pet.6.] *Vos eſtis genus electum regale Sacerdotium*, aliud Sacerdotium, & regnum eſt externum, de quo eſt inter nos, & hæreticos controverſia, quod certè non eſt omnibus Chriſtianis commune, ſed ritè ab Epiſcopo ordinatis proprium. Quare qui non eſt ritè ordinatus non debet ſibi hunc aſſumere honorem, exemplo Oziæ Regis permotus, & exterritus, qui ſibi Sacerdotii munus uſurpans lepra in fronte percuſſus eſt.

IV. Diaconi olim non tantùm fuere diſpenſatores eleemoſinarum, ſed etiam miniſtri Eccleſiæ ab Epiſcopo ordinati, ut in Sacrificiis Præsbyteris inſervirent, & Evangelium legerent contra Martinum Lutherum, Melancthonem, Calvinum, & Nicolaum Hemmingium, qui uno ore docent Diaconos tantùm ad hoc eſſe inſtitutos, ut inopes Eccleſiæ opibus ſublevarent. Hi autem Diaconi non eſſe Presbyteris pares, evincitur tum ex majori poteſtate, tum ex Eccleſiæ praxi, tum ex Canone *jubemus* contra Fulcidium, qui Diaconos Præsbyteris omninò æquiparare contendebat.

V. Clerici ſacris ordinibus initiati continentem vitam ducere debent, & Matrimonium contrahere nequaquam poſſunt; contra Nicolaitas dicentes, quòd niſi quis quotidie Venerem exerceret non poſſet æternæ vitæ præmia conſequi. Quare Vigilantiani Epiſcopi ſacrum Diaconatus ordinem non conferebant, niſi prius promovendus uxorem duxiſſet, cui opinioni ita adhæſit Petrus Bruſius, ut diceret Sacerdotes, & Monachos potiùs debere uxores ducere,

quàm

Digitized by Google

quàm ſcortari; Primus autem omnium, qui in Germania naſcente Lutheri ſecta uxorem duxerit ex Sacerdotibus fuit Andreas Caroloſtadius, ut patet ex impia Collecta pro Miſſa conficta in ejuſdem ſacrilegis nuptiis à Witembergenſibus, quæ ita incipit, *Deus, qui poſt longam, & tam impiam Sacerdotum cæcitatem Beatum Andream Caroloſtadium ea gratia donare dignatus es, ut primus &c.*

VI. Non ſolùm inſtrumentorum traditio, verùm etiam & manuum impoſitio ad eſſentialem ordinis materiam pertinet, forma autem ſunt verba prolata ab ordinante, quæ verba in quocumque Ordine ſpecialiter habentur. Effectus autem Sacramenti Ordinis eſt poteſtas ſpiritualis per impreſſionem characteris perpetua, & collatio gratiæ gratum facientis ad ritè & ſanctè in Ordine ſuſcepto miniſtrandum. Ordinarius autem Miniſter Ordinis eſt Epiſcopus tum quo ad ordines Majores, tum quoad ordines minores; ex privilegio tamen peculiari Sedis Apoſtolicæ ſunt etiam Abbates Regulares Monachorum quoad Minores Ordines reſpectivè ad proprios ſubditos.

De Sacramento Matrimonii.

I. MAtrimonii Sacramentum rectè inter Sacramenta novæ legis reponimus, eiſque qui nullo continentiæ voto ſe perſtrinxerunt licitum, & honeſtum eſſe aſſeveramus. Hinc Simonis Magi diſcipuli toto cœlo aberrare viſi fuere, dum arbitrati ſunt Nuptias opus Dei nequaquam eſſe, & Saturninus qui inſuper addidit Nuptias à Satana eſſe; quare Severus auſus eſt aſſerere fœminas à Dæmone efformatas; adeòque qui fœminæ quomodocumque adhærerent Dæmoniacum opus explere, & perficere ſuadere conatus fuit, à quo diſſentire non videntur Hydroparaſtatæ,

qui Matrimonium ſcortationem appellant, & Marcion qui Matrimonium impudicitiæ compendium, & hominibus malum eſſe effinxit. Adamitæ autem Adami nuditatem imitantes, credebant nuptias non fuiſſe futuras Adamo non peccante, adeòque ex eo Nuptias impugnabant quia nec ante Adami peccatum, nec ante ejus à loco voluptatis expulſionem Eva virginitatem amiſit. Quare Euſthatius ita Nuptias damnavit, ut ejus eſſet effatum, nullum eorum, qui in conjugio ſunt in Deo ſpem habere, qua doctrina percepta Durandus de Valdachia ſomniavit Matrimonium eſſe occultatum meretricium. His erroribus addere poteris dogma eorum, qui negarunt Matrimonium eſſe Sacramentum, & præcipuè Armeni effutientes per illam indiſſolubilem conjunctionem maris, & fœminæ non conferri aliquam gratiam, idemque videntur ſentire novi Manichæi, & Albigenſes, à quo errore nequaquam immunis redditur Eraſmus Roterodamus, qui an Matrimonium ſit Sacramentum ſaltem in dubium revocavit, & Lutherus qui ſuo libro de captivitate Babylonica cap. de Matrimonio, aſſerit non ſolùm, Matrimonium ſine ſcripturarum authoritate Sacramentum appellari, verùm hoc, ut Sacramentum ignorantia præeunte in Eccleſiam eſſe introductum. Sanctum autem, & honeſtum eſt Matrimonii vinculum; quod à pluralitate uxorum abhorret adversùs Simonem Magum, qui indifferenter uti fœminis docuit, & Nicolaitas, qui uxorum communitatem tuebantur, quam communitatem dum à prole abhorrebant cum Priſcillianiſtis amplexati ſunt Gnoſtici, & Valentiniani; quem errorem penè ſepultum ab Orco revocarunt Libertini, qui ſecundùm deſideria carnis ſpiritum dirigentes modò hac, modò illa abuti fœmina putidiſſimè vocationem nuncupare conſueverunt.

II. Materia, & forma hujus Sacramenti ſunt, conſenſus conjugum verbis expreſſus, ſeu quod idem ſonat verba con-

conſenſum exprimentia ſunt materia & forma Sacramenti Matrimonii, adeòque erravit Kemnitius, qui ideò non admiſit Matrimonium inter ſeptem Sacramenta, quia materia, & forma, ſeu elementum, & verba non poſſunt facilè demonſtrari. Cùm autem Matrimonium ſit aliquid permanens non erit contra rationem dicere materiam Sacramenti Matrimonii eſſe ipſa corpora contrahentium; etenim ipſi conjuges ſimul cohabitantes ſymbolum materiale externum præbent indiſſolubilis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: Miniſtri autem hujus Sacramenti Matrimonii ſunt ſolùm ipſæ perſonæ contrahentes.

III. Matrimonia infidelium ſolubilia ſunt etiam quoad vinculum, in eo præcipuè caſu, in quo alter conjugum ad fidem converſus cum altero cohabitare nequeat ſine injuria Creatoris. Inter fideles autem Matrimonium ratum, & non conſumatum ſolvi poteſt etiam quoad vinculum per ingreſſum alterius conjugum in religionem. Quoad thorum verò, & cohabitationem inter fideles ſolvi poteſt Matrimonium conſummatum, & hoc ex duplici capite, vel ex eo quòd ſtatum perfectiorem intendant conjugati, ut v.g. ſi uterque conjugum continentiam perpetuam voveant, & hoc evenit cum conſenſu, vel ex crimine, & hoc etiam ſine conſenſu accidere poteſt, quod quidem ex triplici capite provenire ſolet, vel ex adulterio alterius conjugum, vel ex receſſu à Catholica fide, vel etiam quando ex cohabitatione impellitur alter conjugum ad Dei offenſam; itaut non poſſint conjugati ſimul cohabitare ſine periculo offendendi Deum. Licèt autem divortium ob exaratas cauſas fieri liceat, tamen cautè circa hanc materiam procedendum eſſe arbitramur. Quandoquidem divortium eſtò authoritate propria poſito alterius conjugum adulterio & quidem tantummodò, quoad thori ſeparationem, tamen quoad ſeparationem cohabitationis fieri nequit ſine judicio Eccleſiæ. Imò non ſem-

Digitized by Google

ſemper eſt licitum etiam ſolummodò, quoad thori ſeparationem; poteſt enim eſſe caſus, quòd detur fornicatio, ſeu adulterium, & nihilominus hujuſmodi ſeparatio reddatur illicita, adeòque ut licita ſit plurimæ deſiderantur conditiones à jure præſcriptæ. Quare Ebionitæ falſi ſunt, qui permittebant etiam ſine crimine primis ſolutis nuptiis, alias, ſecundas, ſcilicet, & tertias etiam inire; quem errorem ſecuti ſunt Meſſaliani, & poſtmodùm Mahomettani, à quibus Græci didicerunt adhuc ſuperſtite altero conjugum facto divortio, alteri nubere; Adeòque poſito inter conjuges divortio nulli licet, alio adhuc vivente, alteri copulari; unde nequaquam audiendus eſt Eraſmus Roterodamus qui totus eſt in probando facto divortio inter conjuges ob fornicationem licere innocenti alteri nubere; quam opinionem extendere placuit Luthero, qui docuit non ſolùm ob fornicationem licere alteri nubere, verùm etiam, & ob reſiſtentiam, vel duritiam ad reddendum debitum in altero conjugum habitam, cui opinioni adhæſit Bucerus; Calvino tamen, & Melancthoni magis placuit ob ſolam cauſam fornicationis innocenti licere alteri ſpondere.

IV. Filii ſine juſtâ cauſa invitis parentibus Matrimonium contrahentes à peccato non excuſantur; ex hoc tamen non benè deducitur Matrimonium ſolo parentum conſenſu inter filios celebratum eſſe ratum, ſed ulteriùs ad Matrimonii firmitatem requiritur etiam ipſorum filiorum conſenſus, ſine quo Matrimonium ratum effici nequaquam poteſt; quare Martinus Lutherus mentitus eſt, dum dixit Matrimonia inter filios celebrata ſine parentum conſenſu eſſe rata, dummodò ex tali conjugio ſuſcepta ſit proles; ſin minus autem in parentum eſſe poteſtate ea etiam conſumata dirimere, vel confirmare. Quam poteſtatem extendunt Bucerus, & Kemnitius etiam ad magiſtratum cujus authoritate dirimi poſſunt (ut ipſi dicunt) matrimonia contracta

à Fi-

Digitized by Google

à Filiis invitis parentibus. Eccleſia tamen Romana oppoſitam tradidit doctrinam, dum rata, & firma habet matrimonia à filiis contracta etiam invitis parentibus, etſi aliquando in hujuſmodi matrimoniis peccatum non deſit. Non tamen ex hac doctrina ſequitur (quod injuſtè affingit Calvinus) Romanam Eccleſiam habere ratum aliquod impium in Deum, vel in homines iniquum, ſi non dirimit connubia filiorum inſciis parentibus habita; cùm ad habendum Matrimonium ratum ſufficiat conſenſus contrahentium, & uſus liberi arbitrii.

V. Jure naturæ prohibita ſunt conjugia in primo gradu conſanguinitatis, tum in linea recta, tum in linea tranſverſa, & etiam in primo gradu affinitatis, in recta linea. Et ita de jure naturæ vetita ſunt hujuſmodi connubia, ut ab hominibus indiſpenſabilia ſint.

ASSERTA HISTORICA.

Aſſerta pro primo Chriſtiano Sæculo.

I. OCtavo Kalendas Aprilis, feria ſexta, die Novilunii, qui dies erat primus anni ſacri, à mundi exordio 3959., ab Urbe condita 751., Auguſti Imperii 41., Indictione III. Coſſ. Auguſto XIII., & M. Plautio Silvano, Sanctiſſima Virgo Maria, ex Joachim, & Anna parentibus genita, ex Regio, & Sacerdotali ſanguine orta, à Tribu Juda, à Gabriele Archangelo annunciatur, eique Divinæ Incarnationis Myſterium exponitur, & habito Immaculatæ Virginis aſſenſu *Verbum caro factum eſt*.

II. Sanctiſſimæ Dei Genitricis puerperium media nocte accidit octavo Kalend. Januarii die ſolis, à creatione Mundi 3960., anni ſacri 1506., Danielis hebdomada 66., ab Urbe condita 752., Auguſti Imperii 42., Indictione VI. Conſulibus Auguſto XIII., & Marco Plautio Silvano.

III. Octavo die circumciditur juxtà præceptum legis Moſaicæ Puer, eique nomen JESU imponitur Coſſ. Cornelio Lentulo, & L. Calphurnio Piſone, qui eo die Conſulatum iniere.

Spon-

Digitized by Google

IV. Sponſum nuptiarum Canæ Galilææ fuiſſe S. Joannem Evangeliſtam probabiliter aſſeveramus. Sicuti etiam mulierem, à qua Dominus ſeptem dæmonia ejecit, Mariam Magdalenæ, Marthæ, & Lazari ſororem fuiſſe aſſirmamus.

V. Chriſtus, Filius Dei unigenitus Pontifex Maximus, Sacerdos, & hoſtia æterno Patri ſe ipſum offerens in ara crucis emiſit ſpiritum, anno ab origine Mundi 3993., ab Urbe condita 785., Tiberii Principatus anno 18. nondum expleto medio 70. hebdomadæ Danielis, Coſſ. En. Domitio Abenobarbo, & A. Vitellio Nepote; ætatis verò Chriſti anno 33. Luna 15. hora nona, Feria ſexta.

VI. Petrus primus Romanus Pontifex acceptum à Chriſto Domino Primatum, Claudii anno ſecundo Romæ conſtituit, ac in Cathedra, quam in Baſilica Vaticana colimus, & à D. Pudente Senatore acceptam, dum ab ipſo Romam veniens exceptus fuit, in ejuſdem Pudentis Domo primò Sedens Romanos Chriſtianam religionem docuit, & hanc Cathedram, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt Romæ moriens martyrio conſecravit. A. D. Petro Origo, & fundamentum, & ſeries Romanorum Pontificum optimè deducitur; illi enim hoc primo ſæculo ſucceſſiſſe Linum, Cletum, & Clementem Eccleſiaſtica antiqua monumenta, ac vetuſtæ Chronologiæ exhibent, eumque ordinem nos tuemur.

VII. Reprehenſio circa legalium obſervantiam S. Petro ab Apoſtolo Paulo facta, vera fuit, non ſimulata; nec tamen circa fidem lapſus eſt Petrus, ſed ad ſummum fuit error facti, non doctrinæ.

VIII. Sors quæ cecidit ſuper Matthiam non fuit ſors propriè, & rigoroſè accepta, ſed ſignum aliquod à Deo datum, & cælitùs immiſſum, quo adſcribebatur ordini hierarchico, qui divino ſuffragio electus fuerat. Quare uſum ſor-

Digitized by Google

tium illicitum eſſe in ſacris electionibus demonſtrant Sac. Can. *De Sortilegiis* Tit. XXI. cap. *Eccleſia*. Neque huic aſſertioni opponitur tertius Can. Concilii Barchinonenſis, ubi de Epiſcopi electione. Imò ipſa ratio oppoſitum evincit, nec exemplo S. Matthiæ noſtra infirmatur Concluſio.

IX. Plebs Chriſtiana jure poteſt ferre teſtimonium, de vita, & moribus Clericorum,& eligendorum ad ſacra miniſteria, & hoc evincitur ex ipſa Eccleſiaſtica diſciplina ab Apoſtolis derivata; & hoc etiam colligimus ex electione ſeptem Diaconorum, qui non ſolùm ad prophanæ menſæ miniſterium aſſumpti ſunt; ſed ut eſſent Eccleſiæ Dei adminiſtratores, & Corporis, ac Sanguinis Domini diſpenſatores abſente Sacerdote.

X. Apoſtoli antequam ad fidem Evangelizandam per univerſum orbem proficiſcerentur regulam Fidei certàm cōfecere,quæ Symboli Apoſtolici nomine uſque in præſentem diem jure meritò gaudet.

XI. Canones, qui vulgò dicuntur Apoſtolici, nec ab Apoſtolis conſcripti, neque à Sancto Clemente Papa collecti fuere, ſunt tamen vetuſtate commendabiles.

XII. Conſtitutionum Apoſtolicarum libri octo, qui tamquam à Clemente Romano Pontifice collecti vendicantur, non ſunt ejuſdem legitimus fœtus, ſunt verò ſummæ antiquitatis, erantque ante quartum Chriſtianum ſæculum apud Eccleſiaſticos Scriptores pervulgati.

XIII. Scriptores, qui hoc primo ſæculo Criſtiano floruere, præter illos, quos Canon Sacrorum Bibliorum exhibet, tamquam legitimi recenſentur S. Barnabæ Epiſtola, & ſeptem priores S. Ignatii Martyris, has enim illorum Apoſtolicorum virorum legitimum eſſe fœtum plura antiqua monumenta demonſtrant. Liturgiæ verò vel ſub nomi-

Digitized by Google

nomine Jacobi, vel S. Petri per Lindanum publicatæ poſte-ſterioris ævi fœtum eſſe oſtendimus.

Aſſerta Dogmatica adverſus Hæreſes I. Sæculi.

1 DEus verè, & propriè eſt Legiſlator, ità, ut nequaquam ab aliquo Angelo, vel ſiniſtra intelligentia lex data ſit, contra Simonem Magum.

2 Sola ſecunda Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis è cœlo miſſa eſt ad genus humanum redimendum, adeòque ſolus Chriſtus Dominus eſt humani generis conſervator, & reparator, contra Menandrum.

3 Angeli nequaquam hujus mundi conditores extiterunt, adverſùs Saturninum.

5 Angelorum primus neque eſt Judæorum Deus, neque ab ipſo homo creatus eſt; contra Baſilidem.

5 Non tenentur Chriſtifideles unà cum lege Evangelica ſuſcipere Circumciſionem, contra Cherintum.

6 Chriſtum Dominum ex conſortio Mariæ Virginis Immaculatæ cum Joſepho progenitum horrent audire Chriſtifideles; adverſùs Ebionem.

7 Promiſcuos mulierum amplexus, & Uxorum communitatem odio ſemper habuit pudica Mater Eccleſia, adverſùs Nicolaitas.

Ex Secundo Chriſtiano Sæculo.

I. AB Anacleto Clementis ſucceſſore, & à Cleto diſtincto ſecundi ſæculi initia auſpicamur. Quæ verò narrantur de Trajani morte, quæ contigit Anacleto ſedente, ejus videlicet animam S. Gregorii Magni precibus ab inferis liberatam, veluti commentum rejicimus.

II. S. Teleſphorus Pontifex non conſtituit, ut ſeptem hebdomadibus ante Paſcha jejunium celebraretur; ſed tantummodò, quod per Apoſtolicam traditionem receperat, obſervandum indixit.

III. Montaniſtarum, & Catholicorum jejunia diſparia eſſe; & Catholicos à Montaniſtis ea non recepiſſe cum Orthodoxa Eccleſia propugnamus contra Dallæum Calviniſtam. Quare abſtinentia à carnibus ſemper fuit pars Eccleſiaſtici Jejunii, & apud veteres Chriſtianos uſitata. Imò quadrageſimalis jejunii obſervantiam Apoſtolicam eſſe traditionem aſſerimus. Quamvis autem quadrageſimale jejunium ab Apoſtolis inſtitutum non eſſet, adhuc tamen eo ipſo quòd ab Eccleſia indictum eſſet, ad ejus obſervantiam teneremur.

IV. Sub Aniceto Pontifice de celebrando Paſchate 14. luna controverſia emerſit, cui ſententiæ favit Polycarpus; fuit autem ſubſequente tempore decretum pluribus in Conciliis tum Orientis, tum Occidentis Paſcha celebrandum eſſe die Dominico proximè ſequente 14. Lunam; aliter ſentiente Polycrate cum ſua Epheſina Synodo. Hæc autem controverſia non ſpectabat præcisè ad fidei dogma, ſed ad Eccleſiaſticam diſciplinam; quam quidem diſciplinam ex Apoſtolica traditione Eccleſia recepit. Quapropter Victor Romanus Pontifex Aſiæ Epiſcopos 14. Luna Paſcha celebrandum

dum eſſe pertinaciter propugnantes comminatoriis litteris perſtrinxit, eos tamen à catholica communione nequaquam ſemovit ſuadente Iræneo. Victor autem Romanus Pontifex numquam docuit Chriſtum purum eſſe hominem; adeòque hæreſis nota perperàm inuritur ab hæreticis.

V. S. Juſtinus Philoſophus, & Martyr numquam credidit ſolùm rationis uſum in homine ſufficere ad ſalutem. Se non rectè explicuiſſe quoad Verbi Divinitatem calumnia eſt Socinianorum. Angelos tamen rem habuiſſe cum mulieribus aſſeruit, verùm authoritas illius explicari poteſt eo ſenſu, quo explicatur aliorum Patrum hoc idem ſcribentium ſententia. Exiſtimavit ulteriùs S. Juſtinus hominem miſcentem Judaiſmum cum Chriſtianiſmo ſalvari poſſe, à quo tamen error excuſari poteſt, quatenus S. Martyr, & ſi tunc Judaicas cæremonias, (ut reverà erat) mortiferas non exiſtimavit, tamen decurſu temporis mortiferas futuras non dubitaverit.

VI. Falſum omninò eſt Sanctum Irenæum arbitratum eſſe Filium Dei Unigenitum Verbum eſſe prolatitium; aſſeruiſſe autem Dæmonem, poſtquam Protoparentes noſtros ad peccandum induxerit, peccaſſe, calumnia eſt Magdeburgenſium; Imò ejus mentem circa Dæmonis damnationem ab eodem Dæmone non cognitam ante Chriſti adventum catholicè explicamus, Sanctumque Iræneum ab hoc errore immunem reddimus, liberum autem hominis arbitrium optimè agnovit Iræneus, nec adverſùs gratiæ neceſſitatem pugnavit.

VII. S. Clementis Alexandrini opera pluribus erroribus ab Arianis depravata veriſimile eſſe ducimus; quare quoad ſubſtantiam catholicæ doctrinæ de Filii Divinitate optimè ſenſit S. Clemens Alexandrinus; verè paſſiones illas famem, ſitim aliaſque hujus generis, quæ ad noſtram redemptionem pertinebant Chriſtum Dominum ſuſtinuiſſe, agnovit;

Digitized by Google

Chriſti corpori pulchritudinem, & venuſtatem non negavit; Fidem, & Charitatem ad Juſtificationem neceſſariam eſſe docuit; peccatum originale per naturalem generationem in deſcendentes ab Adamo propagari firmiter credidit; gratiæ neceſſitatem ad peccatoris converſionem, & præceptorum obſervantiam omninò admiſit.

VIII. Marcionem, poſt illatum Virgini ſtuprum à Patre Epiſcopo ab Eccleſia pulſum, & excommunicatum, Romam veniſſe concedimus, ſed à Patris ſententia ad Romanum Pontificem appellaſſe negamus.

IX. Tertullianus Montaniſtarum errores profeſſus eſt, Deum tamen eſſe corporeum non aſſeruiſſe, probabile eſt. Item & de Verbo Divino rectè judicaſſe, probant ejus opera pluribus in locis; realem Chriſti Domini corporis in Euchariſtia præſentiam nequaquam impugnavit; ſed eam pluribus authoritatibus, & ſententiis tutatus eſt. Cauſa autem receſſus Tertulliani ab Eccleſia, & acceſſus ad Montani hæreſim, ſi conjecturæ aliquid probant, fuere ſeverioris diſciplinæ ſtudium apud Montaniſtas apparens, & durum ejus ingenium auſterumque, quo ſe cenſorem faciebat actorum ab Eccleſiis.

X. Græca Sacrorum Bibliorum editio per LXX. Interpretes non in ſingulis cellulis incluſos, ſed in eadem Baſilica ſedentes, & inter ſe conferentes adornata fuit.

Aſſerta Dogmatica adverſus Hæreſes II. Sæculi.

1 IMpium eſt fidem negare, & falſam ſimulare Religionem, etſi hoc externa tantùm apparentia fiat, adversùs Helceſeitas.

Ani-

2 Animarum traſmigrationem in diverſa corpora, donec omnia vitiorum genera compleant negamus; adversùs Carpocratianos.

3 Deorum minorum pluralitatem numero 369. omninò reſpuimus. Deum in eſſentia unum, in perſonis Trinum confitemur; Martyrium Dei eſſe donum, utile, & bonum ad ſalutem contra Gnoſticos ſuſtinemus.

4 Verbum Divinum, ex Patre, qui Deus eſt ante ſæcula genitum humanam carnem aſsumpſit, non ad orbis Conditoris tyrannidem (quæ nulla eſt) evertendam, ſed ad redimendum humanum genus à peccatorum captivitate, aliter ſentiente Cerdone.

5 Nuptiæ bonæ, & Matrimonium Sanctum eſt à Deo, qui per eſsentiam bonus eſt, inſtitutum ad generis humani propagationem, adversùs Marcionem.

6 Chriſtum Dominum veram carnem ex puriſſimis Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ ſanguinibus accepiſse, non autem cœleſte corpus è cœlo detuliſse confitemur, contra Valentinum.

7 Adamum ſalvatum eſse aſserimus contra Tatianum. Et in Miſsæ Sacrificio meram aquam adhibendam non eſse adversùs Hydroparaſtatas, ſeu Encratitas ſuſtinemus.

8 Sacramenti Baptiſmatis mortuos eſſe incapaces contra Montaniſtas affirmamus.

9 Carnis reſurrectionem contra Bardeſanem catholicam ſequentes doctrinam confitemur.

10 Melchiſedechium verum fuiſſe hominem, non autem aliquam cœleſtem virtutem è cœlo delapſam profitemur contra Teodotum; cumque Melchiſedechium Spiritum Sanctum eſſe negamus, adversùs Hieracitas.

11 Oracula Prophetarum Spiritus Sancti illuſtratione prolata, non autem à Spiritu ſibi repugnante inſpirata contra Apellem ſuſtinemus.

Chri-

Digitized by Google

12 Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum eſſe ſerpentem, qui Adamum, & Evam decepit aſſerere abhorremus, adversùs Ophitas.

13 Etſi homo non peccaſſet, adhuc nuptiæ extitiſſent adversùs Adamitas.

14 Cain, & impii, qui in peccatis mortui ſunt, nequaquam veneratione digni ab Eccleſia agnoſcuntur, contra Cainanos.

15 Materiam non eſſe Deo coæternam adversùs Hermogenem ſuſtinemus.

Ex Tertio Chriſtiano Sæculo.

I. S. Zephirinus Pontifex Maximus, qui anno hujus ſæculi tertio Supremum Eccleſiæ regimen ſuſceperat defuncto Victore; Montani partibus nequaquam adhæſit, ejuſque errores non propugnavit, neque ullatenus ipſi favit.

II. Decio Chriſti Fideles omni tormentorum genere inſectante, lapſi à Confeſſoribus, & Martyribus libellos importunè etiam obtinebant, quibus fræti, nulla peracta pœnitentia, ſeditiosè ab Eccleſia pacem obtinere conabantur; quod certè temeritatis notam effugere nequaquam poteſt; eos tamen compeſcuit Romana Eccleſia, adjuvante Cypriano, tum hortando Confeſſores ne indiſcriminatim lapſis libellos darent, tum lapſis qui haberent Martyrum libellos in mortis diſcrimine pacem, & abſolutionem eſſe concedendam decernendo; quod quidem, reddita Eccleſiæ tranquillitate Decii interfectione Conciliis Romæ ſub Cornelio Romano Pontifice, Charthagine ſub Cypriano celebratis, Libellaticis indulgentiam eſſe concedendam, Sacrificatis verò plenam pœnitentiam agere debere, qua peracta

Eccle-

Eccleſiæ reconciliationem ipſis tribuendam eſſe decretum fuit.

III. Martyres dum pacis libellos lapſis tribuebant, pacem ipſis non concedebant; ſed apud Epiſcopos pro pace danda tantummodò intercedebant; quorum interceſſione permoti Epiſcopi, ſeveritatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ minuebant, lapſos ad communionem admittendo nondum poſita plena peccati ſatisfactione. In his autem libellis pacificis ſingillatim lapſorum nomina, & conditio, pro quibus libelli efformabantur erant exprimenda; & hi libelli vim obtinebant à Martyrum obitu, & perſecutione ſedata, ea tamen lege, ut qui Martyrum libellos obtinebant, ſi ante ſedatam perſecutionem, vel debitam exhibitam pœnitentiam in mortis periculum incidiſſent, pacem, & communionem obtinerent.

IV. Diaconi numquam ſacramentaliter abſolvendi lapſos poteſtatem obtinuerunt; cùm hujuſmodi poteſtas de jure divino ſolis Sacerdotibus competat.

V. Libellaticorum crimen ptoximè ad Idololatriam accedens, erat, quòd aliqui Chtiſtiani ad ſeſe tuendum à perſecutorum furore, vel pecuniam numerabant Magiſtratibus, ut libellos obtinerent, ex quibus in Chriſtiani nominis contumeliam arguebatur, Idolis ſacrificaſſe, (etſi revera Imperatorum juſſibus non obtemperaſſent.) Vel de facto Idolis ſecretò immolabant, in cujus rei gratiam teſtimoniales libellos ſatellitibus oſtendendos à Judice obtinebant, ex quo fit, quòd non omnes Libellatici fidem negaverint, quamvis nonnulli ab ea verè receſſerint.

VI. Omnia læthalia peccata non fuerunt ab Eccleſia publicæ pœnitentiæ ſubjecta, ſed ea tantùm, quæ vel ex ſe publica erant, vel homicidii, Idololatriæ, Mœchiæ crimina, & quæ capitali ſententia à ſæculari foro puniebantur, hæc publicæ ſubdebantur pœnitentiæ. Quòd ſi peccata publica

pœni-

Digitized by Google

pœnitentia punienda, qualia erunt ſuperiùs expoſita, erant occulta, publicam pœnitentiam ſubire mos erat in primitivis Eccleſiæ ſæculis, ità tamen, ut non omnes pœnitentiæ gradus percurrerent pœnitentes, ſed pro diuturno tempore, pro eo ſcilicet, quo publica pœnitentia protrahenda fuiſſet à communione abſtinerent: Quatuor autem olim in Eccleſia erant publicæ pœnitentiæ gradus. *Fletus* ſcilicet, *Auditio*, *ſubſtratio*, *& Conſiſtentia*. Ab inferiori autem gradu ad ſuperiorem aliquando aſcendere, medio gradu prætermiſſo, permittebatur ab Epiſcopis SS. Can. rigorem mitigantibus ob contritionem pœnitentium. Si autem pœnitentes vel in eadem, vel in graviora crimina incidebant à publica, & privata pœnitentia arcebantur, ita tamen, ut iis in mortis articulo privata pœnitentia nequaquam denegaretur. Clerici Minores, in aliquod grave crimen, puta Hæreſis, vel Idololatriæ lapſi eſſent, per aliquos pœnitentiæ publicæ gradus aſcendere debebant; cùm tamen poſt tertium ſæculum majoribus Clericis non fuiſſe publicam pœnitentiam impoſitam certum ſit.

VII. S. Cyprianus unà cum Firmiliano, aliiſque Africæ Epiſcopis ab Agrippino neceſſitatis rebaptizandi indifferenter omnes, qui ab hæreticis baptizati fuerant, errorem accepit, & defendit, variiſque Conciliis Charthagine celebratis munivit, decretumque Synodicum S. Stephano Papæ confirmandum tranſmiſit, quo à Pontifice Summo rejecto, & Cypriano in errore perſiſtenti S. Stephanus excommunicationem minitatus eſt, quam tamen ſuſpendit, nihilque de fide circa eam quæſtionem ex cathedra definiit: Stephani tamen ſententia in Eccleſia prævaluit, cui S. Cyprianum tandem adhæſiſſe graviſſimæ indicant rationes.

VIII. S. Stephanus non quodcumque hæreticorum Baptiſma ratum haberi voluit, ſed illud tantùm docuit eſſe validum, quod verbis in Evangelio præſcriptis collatum fuit.

Aure-

IX. Aurelianus Imperator à Catholicis Epiſcopis interpellatus pro Domno Antiocheno contra Paulum Samoſatenum, judicium aſſumere noluit, ſed illud Concilio Epiſcoporum Chriſtianæ Religionis Italiæ, & Romano Epiſcopo remiſit.

X. Lapſus Marcellini Pontificis, qui ob metum tormentorum thus Idolis adolevit verus, & non commentitius eſt, adeòque Sinveſſanam Synodum ſuppoſititiam, & fabuloſam eſſe, negamus.

XI. S. Dionyſius Alexandrinus Arianæ impietatis crimen de Sanctiſſimo Trinitatis Myſterio, quaſi non benè ſentiens, etſi accuſatus numquam tamen propugnavit; quapropter Arius non ab ipſo errores contra tantum ac ineffabile Myſterium excepit.

XII. In qualem, & quantam impietatem lapſus fuerit Origenes Summi Pontifices, Concilia Generalia, & Sancti Patres apertiſſimè demonſtrant; non ſolùm enim hic thus Idolis obtulit, verùm, & de Divinitate peſſimè ſenſit. Eum ſe retractaſſe prorſus improbabile eſſe exiſtimamus; ſicut etiam non videtur ſufficienter defendi per hoc, quòd dicatur ejus errores ab adverſariis confictos, & malitia inſtigante in ejuſdem operibus inſertos fuiſſe.

XIII. Illiberitana Synodus, quæ imminente Diocletiani, & Maximiani perſecutione celebrata fuit legitima eſt, magnæque authoritatis.

XIV. Inter ſacros hujus ſæculi Scriptores maximè enituit S. Cyprianus, qui de Eccleſia optimè meritus fuit, præcipuè libro de *Unitate Eccleſiæ*, quo Eccleſiaſticam Monarchiam, Petrique Primatum ſanctiſſimè agnovit; quare hoc eſſe genuinum S. Cypriani opus contra Heterodoxos Criticos ſuſtinemus. Librum tamen de Aleatoribus ſuppoſititium omninò eſſe colligi poteſt, tum ex variis rationibus, tum etiam ex eo, quia liber favet Novatianorum

Digitized by Google

errori illis verbis *nam qui delinquit in Deum, nulla ſit excuſatio, nec indulgentia ulla, & nemini venia datur.*

Aſſerta Dogmatica adverſus hæreſes III. Sæculi.

1 Animam rationalem immortalem eſſe, adeòque unà cum corpore non extingui ſuſtinemus contra Arabes.

2 Membrorum mutilatione ſepoſita ſalutem obtineri poſſe, in dubium revocare nequeunt, niſi, qui Valeſiis adhærent.

3 Satisfactio aliqua, vel pœnitentia eſt lapſis pro criminibus commiſſis imponenda, adversùs Feliciſſimum.

4 In Eccleſia adeſt poteſtas remittendi quodlibet peccatum quantumvis grave, ita ut nullum ſit crimen, quod clavibus Eccleſiæ paſtoribus collatis remitti nequeat, contra Novatianos.

5 Licitum eſt Chriſtianis tum mobilia, tùm immobilia poſſidere, contra Apoſtaticos, ſeu Apoſtolicos.

6 Ineffabile Trinitatis Myſterium, quo in unitate naturæ Perſonarum Trinitas adoratur Sanctum, & verum eſſe contra Praxeanos, Noetianos, & Sabellianos ſuſtinemus.

7 Perſona Verbi Divini propriam habere ſubſiſtentiam, & realiter à Divini Patris Perſona diſtinctam eſſe profitemur adversùs Paulum Samoſatenum.

8 Dari in homine liberum arbitrium, quo bonum operari, & malum vitari poſſit ceu dogma catholicum admittimus contra Manichæos.

9 Reſurrectionem nequaquàm ſpiritualem futuram, ſed in

in veritate carnis faciendam eſſe, adverſùs Hieracitas confitemur.

10 Poſt Reſurrectionem millenarium Chriſti regnum corporeis voluptatibus, & deliciis locuples Millenariis relinquimus.

11 Æternam Dæmonum, & impiorum futuram pœnam contra Origenem, Evangelium & SS. PP. propugnant.

Ex quarto Chriſtiano Sæculo.

I. S. Marcelli Pontificis Maximi, qui Marcellino ſucceſſit. Anno Chriſti 304. Epiſtolam ad Maxentium Tyrannum nullis vetuſtatis monumentis roboratam, ſuppoſititiam eſſe arbitramur.

II. S. Melchiades Papa in cauſa Donatiſtarum, ut ſupremus controverſiarum judex in Concilio Romano controverſiam diremit; adeòque Calviniſtarum Theologorum calumnia eſt aſſerere, in eo Concilio Melchiadem veluti Vicarium, & Imperatoris Delegatum Sententiam enunciaſſe.

III. S. Julius Pontifex nequaquam ſolus S. Athanaſium, à communione in Conciliabulo Tyriæ ſeparatum, communioni, & Epiſcopatui reſtituit, ſed ſuffragante quinquaginta Epiſcoporum Concilio; ex quo perperàm arguitur defectus authoritatis in Julio; cùm hæc non ideò operatus ſit, quatenus ei deeſſet authoritas, ſed ut rigore quodam Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſervato, qui per Conciliabuli tyrannidem depoſitus fuerat, per Concilium reſtitueretur.

IV. Primæ Fidei Formulæ in Sirmienſi Concilio efformatæ nullum errorem exprimenti, tædio affectus, erumnis, & curis afflictus ſubſcripſit Liberius, S. Athanaſium dam-

navit, & cum Arianis apparenter communicavit. Hoſius verò Cordubenſis Epiſcopus vi compulſus ſecundam formulam ſubſcripſit, & Arianæ impietati in ea formula contentæ adhæſit, in eo tamen errore univerſæ carnis finem ingreſſum eſſe non exiſtimamus.

V. S.Methodius Origeni non favit circa errorem de præexiſtentia animarum; viſionem beatificam uſque ad generalem reſurrectionem non diſtulit; de Spiritu-Sancto optimè ſenſit. Illud autem quo dicit, nullum antiquorum Domino placuiſſe, ſed in offenſiones incurriſſe, explicari poteſt. Neque eſt reprehendendus ex eo quia ſcripſerit D. Paulum non quidem virginem, ſed viduum fuiſſe.

VI. Viſio S. Petri Alexandrini propter fidei prædicationem in carcere detenti Arii hæreſim futuram repræſentans, & ſignificans, nequaquam ſuppoſititia videri poteſt.

VII. Arius ex Lybia oriundus prius Schiſmaticus, inde Hæreſiarcha, Alexandro Alexandriæ Epiſcopo palàm in Eccleſiaſtico congreſſu, Filio divino honorem æterno Patri æqualem jure, & ſanctè tribuenti impiiſſimè reſtitit, quod contigiſſe anno 321. probabile eſt. Hunc cum aſſeclis S.Alexander coacta ſynodo centum circiter Epiſcoporum damnavit; qui Alexandria fugiens Palæſtinam petiit, & poſt varia ejuſdem diſcrimina tandem intercedente Conſtantia Conſtantini Imperatoris ſorore in extremis laborante ab exilio, quo addictus fuerat, magno Fidei Orthodoxæ detrimento, ad Aulam revocatus eſt.

VIII. Donatus à Caſis--nigris, à quo Donatiſtæ nomen accepere, numquam à ſede Caſarum-nigrarum ad Carthaginenſem Epiſcopatum fuit translatus.

IX. Collatio Carthaginenſis inter Catholicos Epiſcopos, & Donatiſtas prudenter indicta, & celebrata eſt; non tamen ex hoc rectè deducitur in Conciliis admitti debere hæreticos ad ſimiles diſputationes,

Po-

Digitized by Google

X. Poteſtas convocandi Concilia Oecumenica penès Romanum Pontificem reſidet ; neque ex facto Conſtantini Imperatoris Concilium Magnum Nicænum convocantis adversùs hanc ſupremam authoritatem aliquid evinci poteſt. Quandoquidem Generalis Nicæna Synodus à Conſtantino Magno ita convocata fuit, ut aſſenſus S. Silveſtri Romani Pontificis interveniret ; in eaque Synodo per Hoſium Cordubenſem Epiſcopum, Vitum, & Vincentium Præsbyteros præfuit S. Silveſter Romanus Pontifex.

XI. In Nicæna Synodo vocatus, auditus, convictus, & anathematis vinculo innodatus fuit Arius, ejuſque hæreſis damnata. Inſuper etiam fuit decretum Feſtum Paſchæ Dominica proximè ſequente Lunam decimamquartam in univerſa Eccleſia celebrandum eſſe.

XII. Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus Arianus fuit, Arianorumque primarius, & præcipuus protector, & promotor. Quare licèt Ado Viennenſis, & Uſuardus inter Sanctos in Martyrologiis enumerent Euſebium ſub die 21. Junii, ejus tamen nomen è Sanctorum faſtis expungendum eſt, ejuſque loco poni débet S. Euſebius Samoſatenus, qui ab Ariana muliere in odium religionis catholicæ, cujus erat propugnator acerrimus, tegula obrutus Martyrii coronam adeptus eſt.

XIII. Sextus Nicæni Concilii canon Primatui Romani Pontificis nequaquam opponitur ; neque per illum authoritas Romani Epiſcopi ſuprema, & Patriarchica coarctatur ad provincias ſuburbicarias circa C. ab Urbe lapidem, aut ad X. provincias ſupra Metropolitanam authoritatem.

XIV. **Conciliabuli Tyriæ authoritas (in quo ſæcularis Magiſtratus tyrannicè dominabatur, & Orthodoxis Epiſcopis præripiebatur ſuffragiorum libertas,) nulla eſt ; adeòque illius ſententia contra Sanctum Athanaſium lata irrita,**

caſ-

Digitized by Google

caſſa, & nulla fuit. Ab ea tamen ſententia non appellavit ad Conſtantinum Imperatorem S. Athanaſius appellatione reſpiciente injuſtam ſententiam, ſed tantùm Conſtantinum de manifeſta vi, & notoria oppreſſione certiorem reddidit.

XV. S. Athanaſius à Synodo Tyriæ damnatus, & à ſua ſede exturbatus S. Julium Pontificem Maximum appellavit: qui ſummo jure recepit cognitionem cauſæ inter Sanctum Athanaſium, & Euſebianos: non autem ut arbiter dumtaxat à partibus electus judicium aſſumpſit.

XVI. Conſtantinus Romæ baptizatus eſt à S. Silveſtro Papa, non autem Nicomediæ ſub vitæ finem. Conſtantinus denique Catholicam in Religionem diem clauſit extremum.

XVII. Conſtantinus, & Conſtans Imperatores conſentiente Julio Summo Pontifice Sardicæ Concilium convocarunt; Huic OEcumenicæ Synodo tamquam Julii Romani Pontificis legati præfuere Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, Archidamus, & Philoxenus. Sardicenſis autem Concilii canones ante Concilii Trullani tempora fuerunt ab Eccleſia recepti. Quapropter jure hoc Concilium dicitur magni Concilii Nicæni appendix.

XVIII. Jus appellationum ad Sedem Romanam à Sardicenſi Synodo nequaquam inſtitutum fuit, ſed ſolummodò tale jus celebratum, & cognitum ut quid conſequens ad Primatum S. Petri, & ſucceſſorum Romanorum Pontificum. Imò Sardicenſe Concilium non ſolùm jus appellationum ad Romanam Sedem agnovit; ſed ulteriùs, ut patet ex tertio Canone, poteſtatem judicandi appellationes factas ab Epiſcopis depoſitis à Conciliis ad Romanam Sedem indubitanter aſſeruit.

XIX. Marcellus Ancyranus Epiſcopus ab Euſebianis veluti Hæreticus accuſatus, & in Conſtantinopolitano conci-

cilia-

Digitized by Google

ciliabulo à ſua ſede depoſitus ad Julium Pontificem appellavit; qui orthodoxam fidem primò coram eo, deinde coram Sardicenſi Synodo profeſſus, jure abſolutus fuit; in ejus autem abſolutione neque Julius, neque Ancyrana Synodus erravit.

XX. Formulæ Ariminenſi, & Symbolo ſuffragium denegavit Liberius Romanus Pontifex; adeòque nulla hæreſis macula inuri poteſt Sancto Pontifici.

XXI. Synodus Conſtantinopolitana prima, à Theodoſio Imperatore inconſulto Damaſo convocata, pro eo tunc non fuit legitima, neque univerſalis, ſuam tamen legitimitatem conſecuta eſt quando S. Damaſus ipſi authoritatem contulit. Plura Nicæno Symbolo addidit hæc Conſtantinopolitana Synodus ad majorem fidei noſtræ explanationem, ſic verbis illis, *Viſibilium omnium, & inviſibilium factorem*, contra Marcionitas, & Manichæos duo principia adſtruentes, addidit, *Cœli*, *& Terræ*. Ulteriùs ſubdidit contra Photinum *Natum ante omnia ſæcula*. Et contra Appollinarem *De Spiritu-Sancto, ex Maria Virgine*, & *Crucifixus eſt ſub Pontio Pilato*, *& ſepultus eſt*. Cùm in Nicæna Synodo tantùm legantur hæc verba *paſſus eſt*. Inſuper adjecit *Sedet ad dexteram Patris*, & *Venturus cum gloria* & *cujus Regni non erit finis*. Quæ poſtrema verba ſunt contra Millenarios effutientes Chriſti regnum in terra deſiturum mille à die judicii elapſis annis. Etiam ad Macedonianum errorem confodiendum ad illa verba Nicænæ Synodi *Et in Spiritum Sanctum* addidere Conſtantinopolitani PP. *Dominum*, *& vivificantem*, *ex Patre procedentem*, *cum Patre*, *& Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Sanctos Prophetas*. Poſtremò addidere *& unam Sanctam Catholicam*, *& Apoſtolicam* „ Eccleſiam „, cum iis, quæ ſequuntur. Verùm cum additio illius vocis, *Filioque*, quæ modò legitur in Symbolo, non videatur facta à Concilio Conſtanti-

Digitized by Google

ſtantinopolitano, neque à Sancto Damaſo; incerta prorſus & difficilis eſt reſponſio, à quo illa additio facta ſit; quarè ingenuè fatemur in tanta opinionum varietate, nihil certi nos poſſe proferre, cùm quælibet opinionum ſuas habeat probabilitates, ſuaſque etiam ſolutiones; dicimus tamen, eam additionem vel ab aliquo Concilio factam eſſe, vel ab aliquo Romano Pontifice, & poſtmodùm uſu receptam poſtremòque in Florentina Synodo confirmatam, ab utraque Eccleſia Græca, & Latina receptam eſſe.

XXII. Probabilius videtur Canones Concilii Conſtantinopolitani fuiſſe tantummodò tres, qui conditi fuere contra Apollinarem, Macedonium, & Eunomium.

Aſſerta Dogmatica adverſus hæreſes IV. Sæculi.

1 Eccleſia Catholica ſe extendit etiam ad peccatores, eoſque etiam inſignes continet, eorum tamen vitiis numquam violatur, nuſquam deficiet, & nequaquam defecit, adversùs Donatiſtas.

2 Filius Dei Unigenitus, æterni Patris Verbum æternum, conſubſtantialis eſt Patri, & coæternus generanti, adversùs Arianos.

3 Scriptura, Concilia, Patres Macedonianos refellunt, dum teſtantur Spiritum Sanctum verum eſſe Deum, ejuſdem ſubſtantiæ, majeſtatis, & dignitatis cum Patre, & Filio.

4 Ex Scripturis evincitur vero aliquo, & catholico ſenſu, mala à Deo creari, quod intelligendum eſt de malis pœnæ contra Colluthum.

5 Inter alios Eunomii errores, quem & reſpuimus,

erat

erat Verbum Divinum non aſſumpſiſſe animam rationalem.

6 Chriſtum initium ex Maria accepiſſe, & purum eſſe hominem aſſeruit Photinus, quem jure damnamus.

7 Illa verba Geneſeos, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, non referuntur ad corpus, aliter ſentiente Audæo.

8 Sanctorum exuviæ veneratione dignæ ſunt, Sanctique colendi, ac venerandi, contra Euſtachianos.

9 Sanctum eſt pro defunctis fidelibus exorare, illiſque orationes prodeſſe, contra Aerianos ſuſtinemus.

10 Corpus Chriſti Divinitati conſubſtantiale aſſerebant Apollinariſtæ, & per conſequens Divinitatem eſſe paſſibilem dixiſſe evincitur, nos autem utrumque errorem catholicè impugnamus.

11 *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.* Axioma fuit Priſcillianiſtarum, contra quos aſſerimus mendacium omni lege divina vetitum eſſe, & reſtrictiones etiam mentales; adeòque à fortiori erit illicitum mendacium, quod perjurium adjunctum habet.

12 Sanctiſſimam Dei Genitricem Virginem Mariam Immaculatæ Viginitatis honore ſervato ante partum, in partu, poſt partum; omninò neſcientem virum, Benedictum ventris ſui JESUM peperiſſe ſemper docuit Romana Mater Eccleſia contra Helvidium, & Bonoſum.

13 Virginitatis meritum majus eſt, ac bonum præſtantius, quàm meritum, ac bonum conjugii, contra Jovinianum.

14 Sine Sacramento Baptiſmatis vel in re, vel in voto poſt ſufficienter promulgatum Evangelium poſſe conſequi ſalutem omninò impoſſibile eſt, adversùs Meſſalianos.

15 Sanctiſſima Dei Genitrix nequaquam eodem cul-

Digitized by Google

tu, quo Deus ipſe colitur, veneranda eſt, contra Collyridianos.

Ex quinto Chriſtiano Sæculo.

I. ANaſtaſio Romano Pontifice ſecundo hujus ſæculi anno defuncto ſucceſſit Innocentius Primus, qui S Joannis Chryſoſtomi in Synodo ad Quercum, iniquè damnati appellationem ſuſcepit, & in ipſum malè geſta reſcidit: Imò Acacio Beroenſi S. Joannis hoſti, & infenſiſſimo perſecutori, non antea communicatorias tradidit litteras, quàm reſciviſſet Sancti Chryſoſtomi memoriam in Sacras Eccleſiæ tabulas ab eo reſtitutam, omneque depoſitum odium.

II. S. Leo Magnus appellationem Celidonii in Synodo ab Hilario Arelatenſi depoſiti ſuſcepit, ipſumque Celidonium Romæ coacta Synodo in ſuam ſedem reſtituit; ipſumque Hilarium, qui Projecto Epiſcopo alienæ provinciæ ægrotanti alium ſuperordinaverat, ob violatos Canones metropolitica exuit dignitate, quam tranſtulit in Viennenſem Epiſcopum; & ulteriùs ſuperordinatum ab Hilario ſubmoveri decrevit; & Projectum in ſuo Sacerdotio permanere.

III. Gelaſius Pontifex Maximus Pelagianam hæreſim non ſolùm graviſſimis, atque doctiſſimis Epiſtolis profligavit, atque Apoſtolico fulmine contrivit; Verùm etiam, & ſingulari tractatu confutavit; quare jure inter Eccleſiaſticos Scriptores hujus ſæculi numerari debet.

IV. *Pelagius*, ut Auguſtini verbis utar, *fefellit judicium Palæſtinum, propterea ibi videtur eſſe purgatus. Romanam verò Eccleſiam fallere non potuit*; ex qua authoritate licèt evincatur Diaſpolitanam Synodum contra Pelagii hæreſim con-

congregatam ipſius arte dæceptam abſolviſſe, non tamen ex hoc infertur ejus hæreſim approbaſſe, ſed eam verè damnaſſe.

V. Cœleſtius à Charthaginenſi Synodo damnatus Romanum Pontificem appellavit, quam appellationem deinde negligens hæreticus anſam dedit, ut ſecundò ejus cauſæ cognitionem inſtituerint Africani Patres, tum in Synodo ſecunda Carthaginenſi, tum etiam in Millevitana. Verumtamen integrum cauſæ judicium Innocentio I., ad quem antea Cœleſtius appellaverat remiſerunt, à quo Pelagius, & Cœleſtius damnati fuere, eorum hæreſi duplici confoſſa conſtitutione. Zoſimus autem, qui Innocentio ſucceſſit, Cœleſtii hæreſim nequaquam approbavit.

VI. Semipelagiani gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium fidei; qua gratia poſſint velle, & incipere credere conſtantiſſimè negabant. Quare Semi-pelagiani quamvis ad quodlibet opus bonum ſive incipiendum, ſive perficiendum neminem ſibi ſufficere faterentur; non per hoc evinceretur eos gratiam interiorem prævenientem ad bonæ voluntatis initium admiſiſſe.

VII. Prædeſtinatianorum hæreſis revera hoc quinto ſæculò viguit, & licèt in Adrumetino Monaſterio nulli extiterint Prædeſtinatiani, hoc non probat niſi ad ſummum in Africa primò ortum non habuiſſe hanc hæreſim, quæ tamen diù durare non valuit, errores ejurante Lucido, qui illi hæreſi nomen dederat.

VIII. Fruſtrà conantur Calviniſtæ Neſtorium defendere, cum propugnando fuiſſe ignorantem tantummodò, inconſtantem, & pertinacem, non autem hæreticum; quem tamen fuiſſe hæreticum, vel ipſius ſcripta teſtantur.

IX. Anno 431. indicta fuit à Theodoſio juniore Imperatore tertia Synodus OEcumenica Epheſina, prævio

 S. Cæ-

Digitized by Google

S. Cœleſtini Papæ conſenſu, cujus nomine, & authoritate præfuit Synodo uſque ad ejus finem S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, unà cum Arcadio, & Projecto Epiſcopis, ac Philippo Presbytero Romanæ Sedis Legatis; in quo Concilio damnatæ ſunt Hæreſes Cœleſtii, Pelagii, ac Neſtorii.

X. Eutyches Hæreſiarcha à Conſtantinopolitana Synodo damnatus ad S. Leonem Papam appellavit.

XI. In Epheſino latrocinio S. Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus iniquè depoſitus ad S. Leonem Pontificem Maximum appellavit.

XII. Sancti Cyrilli Alexandrini anathematiſmi adverſùs Neſtorium, & reliqua hujus Sanctiſſimi Præſulis ſcripta ab omni erroris labe, & contagio munda ſunt; quare nequaquam Apollinaris hæreſi contaminata, ut ejus adverſarii intendebant, agnoſcimus.

XIII. Joannes Antiochenus minimè Neſtorianæ hæreſi nomen dedit, tametſi ei favere ſuſpicionem præbuerit nimium perſonæ Neſtorii Patrocinium.

XIV. Palmaris Eutychetis error erat, duas poſt Incarnationem negare in Chriſto naturas; ſed ex divina, & humana ſimul permixtis unam compactam eſſe naturam, vel per converſionem Divinitatis in carnem, vel potius carnis in Divinitatem, ad cujus errores evertendos Marcianus Imperator ex conſenſu S. Leonis Romani Pontificis, quartam OEcumenicam Synodum congregavit, & deindè Chalcedonem tranſtulit. In qua Synodo Paſchaſius, & Lucentius Epiſcopi, Bonifacius, & Baſilius Apoſtolicæ Sedis Legati interfuere, à S. Leone Papa miſſi, qui inſuper ab eo receperunt Epiſtolam dogmaticam veluti formam pleniſſimam definitionis fidei, aliarumque rerum in Synodo expediendarum, ipſa tamen Epiſtola non fuit prius ad fidei regulas expenſa, nec antequam ad Concilium

tran-

tranſmitteretur ab Occidentalibus Epiſcopis appro-bata.

XV. Multorum criminium reus ad Sanctam Synodum Chalcedonenſem delatus Dioſcorus, ſe orthodoxum finxit illis vocibus. *Neque confuſionem dicimus, neque diviſionem, neque converſionem. Anathema dicenti aut confuſionem, aut converſionem, aut commixtionem.* Sed aſſumptam perſonam ſtatim depoſuit Dioſcorus illis verbis *ex duabus ſuſcipio, duas non ſuſcipio.* Adeòque jure à Chalcedonenſi Synodo tamquam hæreticus damnatus eſt Dioſcorus, ejuſque doctrina reprobata.

XVI. Theodoretus Epiſcopus Cyrenſis injuſtè in prædatoria Synodo Epheſina à Dioſcoro depoſitus, Romanum Pontificem appellans, definitiva ejuſdem Pontificis ſententia ſuæ Sedi reſtitutus eſt.

XVII. Henoticon (ſcilicet unitivum edictum) Imperatoris Zenonis, etſi nullam hæreſim diſſertè contineret, tamen meritò à piis, & Eccleſiaſticis viris rejectum fatemur.

XVIII. Acacius P. C. ob curatam Petri Moggi, & Petri Fullonis apud Zenonem pacem, ipſoſque in communionem ab eo receptos, quos antea ob hæreſis ſuſpiciones inſectatus erat, meritò & ipſe de hæreſi ſuſpectus eſt redditus, à qua tamen hæreſis macula præſcindendo, adhuc aliis de cauſis juſtè à Romanis Pontificibus damnatus eſt.

Aſſer-

Digitized by Google

Aſſerta Dogmatica adverſus hæreſes V. Sæculi.

1 CInerarii, & Idololatræ appellari nequeunt, qui Sanctorum Cineres piè venerantur contra Vigilantium.

2 Contra Pelagianos Originale peccatum ab Adamo in omnes ipſius poſteros per naturalem generationem deſcendentes propagari confitemur.

3 Non ſolùm volentibus, & incipientibus confertur, & eſt neceſſaria gratia ſubſequens, quâ poſſint in fide proficere, & bonis operibus conſequi ſalutem, ſed etiam confertur, & eſt neceſſaria gratia præveniens actualis, quâ poſſint velle, & incipere credere; propterea dona gratiæ ſunt initium fidei, credulitas, ſeu voluntas credendi, & augumentum fidei contra Semi-pelagianos.

4 Prædeſtinatianorum præcipuus error erat, quòd ſi ad omnes, & ſingulos actus bonos, & ad non peccandum indigeamus gratiâ præveniente, & conſequente noſtrum conſenſum, non erit in nobis liberum arbitrium, quo ita benè operamur, ut poſſimus non benè operari, ità peccamus, ut poſſimus non peccare.

5 Unam eſſe Chriſti Perſonam duabus naturis conſtantem, unumque Dei, & hominis Filium, adeòque Beatiſſimam Virginem Dei Genitricem eſſe appellandam contra Neſtorium propugnamus.

6 Duas in Chriſto naturas, divinam, ſcilicet, & humanam, inconfusè, immutabiliter, indivisè, inſeparabiliter exiſtentes agnovit contra Eutychetem Catholica Eccleſia.

Theo-

7 Theopaſchitarum error erat Divinitatem ipſam unigeniti Filii Dei cruci affixam eſſe, & in ſepulchro collocatam.

Ex ſexto Chriſtiano Sæculo.

I. HUjus ſæculi initio, jam primum Pontificatus expleverat annum Symmachus Papa, cùm Schiſmatici Eccleſiaſtica pace turbata, plura affigentes Sancto Pontifici crimina, viſitatorem, qui de iis cognoſceret à Theodorico rege petiere, quo remedio tumultu nequaquam ſedato, Theodoricus Symmacho annuente Romæ ſynodum, quæ Palmaris dicta fuit, congregavit. Ex quo ſatis evincitur convocationem Conciliorum ad Romanum Pontificem pertinere, etiam in eo caſu, quo de Pontificis accuſatione pertractandum eſt. Quinimò Romana Synodus cauſam Symmachi Pontificis Maximi cognoſcere ſuo jure non potuiſſet, niſi ſe illius diſcretivo judicio ſubjeciſſet Symmachus.

II Epiſtolam, quæ Hormiſdæ Pontificis nomine obſignata eſt, & qua S. Remigio Sedis Apoſtolicæ vices per omne Clodovei regnum conferuntur, nequaquam Hormiſdæ eſſe, ſed Symmachi exiſtimamus.

III. Ennodius Diaconus ſub Symmacho, & Hormiſda Pontificibus Maximis floruit, cauſam quidem Symmachi contra Schiſmaticos calumniatores optimè defendit, & pro Eccleſia Chriſti multa perpeſſus dignè ab Eccleſia inter ſanctos confeſſores anniverſariis honoribus colitur. Nequaquam tamen primus fuit, qui Romano Pontifici ,, Papæ ,, vocabulum tribuerit.

IV. Conſuetudo confirmandæ ab Imperatore Pontificum Romanorum electionis non Eccleſiaſtica diſciplina ſed ſæculari violentia introducta fuit.

Tan-

V. Tantùm abeſt ut S. Joannes Primus Romanus Pontifex Juſtino Auguſto ſuaſerit Eccleſias ablatas Arianis reddere, quòd potius (inſtante Theodorico Gothorum Rege Ariano legationem ſubire coactus ad Juſtinum) Arianorum Eccleſias quotquot in Oriente invenit Sacro Ritu conſecravit, & Catholicis tradidit, & deinde cùm Epiſcopos Italos ad idem præſtandum hortaretur, ab impio Theodorico in carcerem conjectus Martyr occubuit.

VI. Agapitus Summus Pontifex appellationem Contumelioſi Epiſcopi Rejenſis à Synodo provinciali depoſiti ad Romanam Sedem factam, excepit; Ceſariumque, qui poſt appellationem interpoſitam, ſententiam contra Contumelioſum latam executioni mandari permiſerat graviter reprehendit. Anthimum Theodoræ Auguſtæ authoritate fretum Conſtantinopolitanæ Sedis ex Trapezuntino Epiſcopatu invaſorem Sacerdotio, & communione catholica privavit, & ab uſurpata Sede dejecit, Menna ſuffecto; & hoc ſummo jure abſque ullius Concilii convocatione.

VII. Facundi Hermianenſis authoritas nullatenus Sacramentariis favet; numquam enim ipſe negavit realem corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia.

VIII. Silverii Pontificis Romani Epiſtolam ad Vigilium Antipapam ſuppoſititiam eſſe probabiliter ducimus, adeòque neque à Silverio contra Antipapam Vigilium Synodum coactam eſſe vel Pataræ degente, vel Romam redeunte, neque contra ipſum excommunicationem tuliſſe arbitramur.

IX. Vigilius, qui Silverio Papa ſuperſtite Apoſtolicam Sedem malis artibus occuparat, eo erumnis confecto, accedente Cleri Romani conſenſu, univerſalis Eccleſiæ Paſtor renuntiatus, in virum alterum mutatus, quæ ſacrilegè Theodoræ Auguſtæ promiſerat, ſolemni fidei profeſſione delevit, ſanctiſſima quatuor Concilia Oecumenica recipere pro-

profeſſus eſt, confirmavitque Agapiti in Anthimum ſententiam.

X. Scythæ Monachi duas in Chriſto naturas inconfuſas per unionem profeſſi ſunt, Concilium Chalcedonenſe amplexi ſunt, adeòque ab Eutychiana hæreſi prorſus alienos fuiſſe probabilius exiſtimamus.

XI. Quintæ Synodi generalis convocationi à Juſtiniano factæ annuit Vigilius Romanus Pontifex, quamvis retractata deinde juſtis de cauſis ſententia nullis precibus flecti potuerit, ut Synodo præeſſe dignaretur; licèt ingentibus curarum fluctibus agitatus poſtremò trium capitulorum damnationem dumtaxat, ſalva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonenſis, approbaverit.

XII. Sanctus Gregorius Magnus Pontifex Maximus Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri Regulam profeſſus fuit. Joannis jejunatoris Conſtantinopolitani Epiſcopi ſeſe Patriarcham Oecumenicum inſcribentis audaciam fregit; quare dum leniter increpat Eulogium Alexandrinum, qui S. Gregorium Magnum *Papam Univerſalem* appellavit, non negavit hanc univerſalitatis prærogativam Romano Pontifici; (negari enim non poteſt Romanum Pontificem eſſe Univerſalem Oecumenicæ Eccleſiæ Paſtorem), ſed hoc ſcripſit Sanctiſſimus Pontifex ut humilitate ſuperbiam Conſtantinopolitani Antiſtitis curaret. Quapropter primus invenitur, qui in ſcribendis epiſtolis, ea forma uſus ſit *Gregorius ſervus ſervorum Dei*.

XIII. Inter plurima, quæ hoc ſæculum illuſtravere Concilia Provincialia, non eſt cenſendum minimum Cæſarauguſtanum, in quo licèt tantummodò tres canones conditi fuerint, tamen ob decreta contra Arianam impietatem edita inter nobiliora Concilia numerari meritò poteſt. Canone enim ſecundo ſtatuit, ut Reliquiæ Arianæ hæreſis in quibuſcunque locis inventæ, ad Epiſcopos delatæ, igne

Digitized by Google

probarentur. Quod verò primo ejuſdem Concilii canone decernitur circa Presbyteros ab Ariana hæreſi ad Eccleſiam Catholicam converſos, quòd, videlicet, ad ſacrum miniſterium admittantur, *accepta denuò benedictione Presbyterii*, non eſt intelligendum de nova ipſorum reordinatione, ſed de exteriori quadam cæremonia, qua in Clerum, & officia ſacra reſtituebantur.

XIV. S.Gregorius Magnus, qui inter Eccleſiaſticos hujus ſæculi ſcriptores floruit, author eſt Dialogorum, qui propterea libri nequaquam Gregorio Secundo tribuendi ſunt. Negamus tamen Epiſtolam 54. libri ſeptimi ad Secundinum incluſum eſſe ex integro S.Gregorii, cùm aliqua contineat, quæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa lapſos minimè faveat, oppoſitum ſentiente Gregorio pluribus in locis. Epiſtolam tamen 64. ejuſdem libri ſeptimi ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum datam, genuinum eſſe Sancti Gregorii fœtum aſſerimus, quod dicimus de Epiſtola decima libri undecimi, ad Senatorem Presbyterum, & de Epiſtolis 31., & 32. libri duodecimi.

Aſſerta Dogmatica adverſus hæreſes VI. Sæculi.

1 CHriſti corpus ante reſurrectionem verè doloribus, & paſſionibus ſubjectum fuit, adverſus Aphthardocitas.

2 Salvator Noſter nullo ignorantiæ vitio laboravit, contra Agnoitas.

Ex

Ex ſeptimo Chriſtiano Sæculo.

I. SAbinianum Pontificem, qui anno quarto hujus ſæculi incæpti D.Gregorio ſucceſſit; ob avaritiam per viſum ter à D. Gregorio Magno reprehenſum, & quartà vice in capite percuſſum, dolore ex tali ictu concepto obiiſſe, cùm nullo antiquitatis monumento nitatur inter apocrypha recenſemus.

II. Bonifacius Quartus Romanus Pontifex, Romæ Synodo coacta, Monachorum hoſtes, qui ipſos etſi Sacerdotii dignitate donatos, ab adminiſtratione Sacramentorum arcere volebant coercuit.

III Honorius Primus Pontifex Maximus Monothælitarum hæreſi nec favit, nec Monothælitis adhæſit.

IV. Joannes Quartus Papa Monothælitarum hæreſim abſque generali concilio diris proſcripſit, & Heraclii Imperatoris Ecthesim Monothæliticam impietatem redolentem damnavit.

V. Theodorus Papa Pirrhum in Monothæliticam hæreſim relapſum, ſententia, intincto in Chriſti Domini ſanguinem calamo, ſubſcripta confixit; Paulumque Conſtantinopolitanum Antiſtitem eadem de cauſa damnavit.

VI. S.Martinus Papa, & Martyr ob dictum anathema Conſtantis *Typo*, & ob Monothælitarum hæreſis damnationem, non autem, vel quia majorum ſuorum traditam mutaſſet fidem, vel quia aliquid cum Saracenis adversùs Romanum imperium molitus eſſet, in exilium ab hæretico Imperatore Conſtante miſſus eſt.

VII. Sancto Martino Papa ſuperſtite Calliopas Exarchus Romanum Clerum compulit ad electionem Pontificis, à quo electus fuit Eugenius I., qui vicaria ſolùm poteſtate gre-

Digitized by Google

gregem gubernavit uſque ad obitum Sancti Martini, poſt verò ejuſdem obitum ut canonicus Paſtor Chriſtianum populum pavit; & Petri Conſtantinopolitani Patriarchæ Synodicas litteras ambagibus involutas rejecit.

VIII. Vitalianus Romanus Pontifex Joannem Lappenſem in inſula Cretenſi Epiſcopum contra Canones à Paulo Cretenſi Metropolitano depoſitum in Synodo provinciæ, Romam appellantem cognita cauſa reſtituit in Sedem, & Metropolitanum redarguit ob violatos canones, & etiam quia Epiſcopo Romam appellanti facultatem illùc ſe conferendi non dederit, nec permiſerit.

IX. Anno ſalutis 680. Conſtantinus Pogonatus Imperator convocavit Conſtantinopoli tertiam Synodum generalem inter Oecumenicas ſextam, prævio conſenſu Agathonis Romani Pontificis, qui per Theodorum, & Georgium Presybteros, & Joannem Diaconum Legatos Sedis Apoſtolicæ Concilio præfuit, Synodi verò Patres à Summo Pontifice ejuſdem Concilii approbationem obtinuerunt.

X. Trullanæ Synodi anno circiter 684. à Juſtiniano II. Imperatore coactæ Canones 102. Sergius Papa ab Imperatore rogatus approbare noluit, & quamvis deinde, fuerint ſynodaliter expenſi non tamen conſtat, quinam ex illis ab Apoſtolica Sede approbati fuerint.

XI. Plurima hoc ſæculo inſtituta ſunt Concilia Nationalia, & provincialia ad roborandam, & inſtaurandam Eccleſiæ diſciplinam. In Concilio tamen Toletano XII. Wamba Rex Gothorum non fuit depoſitus, & exaucthoratus, ſed ſponte ſe abdicavit ante hujus Concilii celebrationem.

XII. Inter hujus ſæculi ſcriptores reponendus eſt Authot Anonymus Chronici Alexandrini. Deinde rejicimus ab operibus Sancti Iſidori Hiſpalenſis librum, quem nunc habemus inſcriptum de Vita, & Morte Sanctorum; Librum

vero

verò de Viris Illuſtribus à Sancto Iſidoro incæptum Sanctus Ildefonſus continuavit.

Aſſerta Dogmatica adverſus hæreſes ſeptimi Sæculi.

1 DUas in Chriſto operationes, duaſque voluntates contra Monothelitas Orthodoxa confitetur Eccleſia.

2 Chriſtum Sanctiſſimæ Dei Genitricis Filium à Judæis occiſum negat Alcoranum, propterea addens alium Chriſto ſimilem à Judæis cruci ſuffixum.

3 Chriſti Domini crucem, in qua ſalutis author pependit adorandam eſſe contra Paulicianos catholicè propugnamus.

Ex octavo Chriſtiano Sæculo.

I. ANno primo hujus octavi ſeculi Sergio defuncto ſucceſſit Joannes Sextus, quo regnante, Aripertus Longobardorum Rex Eccleſiæ Alpium Cottiarum Patrimonium donavit.

II. S.Gregorius Secundus Pontifex Maximus à Leone Iſauro Iconoclaſtarum hæreſi deturpato, & omni remedio inſanabili, defecit; eumque tributorum exactione privavit, Romam, Italiam, totumque Occidentem ab ejus obedientia abſtraxit.

III. S.Gregorius Tertius Papa Carolum Martellum „Chriſtianiſſimi„ elogio cohoneſtavit; quod præclariſſimum nomen ob inſignia priſcorum Galliæ Regum merita

in

in Rem Chriſtianam, & Romanam Sedem hæreditarium eiſdem fuit. Idem Sanctus Pontifex Iconoclaſtarum hæreſim damnavit; ejuſque Sectatores anathemate confixit.

IV. Zaccharias Summus Pontifex nullo alio ſuppetente remedio pro Gallicani Regni ſalute, & Religione, ob ignaviam, & ſtoliditatem Childerici III. Regis, ex Merovingica ſtirpe poſtremi, in extremum, & evidens diſcrimen adducta, per authoritatem Apoſtolicam juſſit ad Francorum Procerum preces Childericum Regem deponi, & Pippinum ex Præfecto palatii in ejus locum ſubrogari, ſecundùm cæremonias Francorum, & à Sancto Bonifacio Archiepiſcopo Legato Apoſtolico in Regem inungi. Quod Zachariæ decretum Stephanus III. Papa confirmavit, & tribus elapſis annis Pippinum cum Carolo, & Carolomanno ejus filiis ſolemniter in Regem unxit, ipſiſque Romani Patriciatus dignitatem contulit.

V. Poſt Stephani III. obitum S. Paulus I. defuncti Pontificis Frater potioribus ſuffragiis electus eſt, Theophylacto exploſo. Hic Conſtantinum Copronymum miſſis ad eum Legatis, & commonitoriis litteris ad fidem, & pietatem revocare fruſtra conatus eſt. Quare contra Græcos expeditionem parantes, & Ravennatem Exarchatum, Romanamque Urbem invaderi volentes, Pippini Francorum Regis auxilium imploravit.

VI. Anno Chriſti 787. Conſtantino, & Iræne Impp. convocatur Niceæ in Bithinia ſecunda Synodus Generalis Nicæna, ſeptima nuncupata 350. Epiſcoporum, præhabito conſenſu Hadriani I. Romani Pontificis, qui per Petrum Archipresbyterum Sancti Petri, & Petrum Abbatem Monaſterii Sancti Sabbæ Romæ ſiti, Legatos Sedis Apoſtolicæ Concilio præfuit; ejus tamen ſingulas actiones, quæ octo fuerunt, & quamcumque Epiſcoporum ſententiam, aut in-

Digitized by Google

interlocutionem ibi habitam, & viginti duos canones ibidem conditos plura falſa involuentes, non approbavit, ſed commune dumtaxat decretum circa Sacrarum Imaginum cultum authoritate Apoſtolica confirmavit.

VII. Hadrianum I. Pontificem Maximum Carolo Magno facultatem contuliſſe Romanum Pontificem eligendi, & ſingulis Epiſcopis inveſtituras concedendi, commentum eſt Sigeberti ex pluribus capitibus inveriſimile.

VIII. Inter varia Provincialia Concilia hoc ſæculo coacta celebre eſt illud habitum Clovesboviæ in Anglia à Cuthberto Cantiorum Archiepiſcopo, adhortante Sancto Bonifacio Apoſtolicæ Sedis per Germanias Legato, congregatum; in qua Synodo, perlectis primùm Zachariæ Romani Pontificis litteris, quibus Anglis diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtauratio, & morum emendatio præcipiebatur; triginta canones editi ſunt, quorum præcipui fuere XIII., XIV., XV., XVI., & XVII., quibus Feſtivitatum, & Divinorum officiorum Ritus, & celebratio ad exemplar Romanæ Eccleſiæ decernitur.

IX. Inter Scriptores Eccleſiaſticos hujus ſæculi venerabilem Bedam annumeramus omnium hiſtoricorum ſententiam amplectentes; qui propterea Beda venerabilis diſtinctus eſt à Beda Presbytero, & Monacho Lindisfarnenſi; noſter enim Beda Presbyter quidem fuit, & Monachus, ſed Monaſterii Girvvenſis; hunc autem Romæ mortuum, & ſepultum eſſe, ut commentitium reicimus.

X. Oratio pro Fidelibus defunctis, in qua fabulæ de liberatione Trajani animæ ab inferis S. Gregorii precibus, & Falconillæ, & S. Theclæ interceſſione obtruduntur, non eſt S. Joannis Damaſceni, qui hujus ſæculi Eccleſiaſticus Scriptor fuit.

XI. Ab Alcuini operibus expungimus librum de divi-

nis

xis Officiis, multa enim continet liber ille contra ejus expreſſam genuinis in operibus Sententiam errata, Alcuino prorſus indigna.

Aſſerta Dogmatica adverſus hæreſes VIII. Sæculi.

1 SAcer Uſus, & Cultus Sacratum Imaginum Chriſti, & Sanctorum, cum lege Dei nullatenus pugnat; imò Religioni conſentaneus eſt, & Fidelium excitandæ pietati utilis, adverſus Iconomachos.

2 Chriſtum ſecundùm naturam etiam humanam non eſſe Filium Dei adoptivum, Sacræ Scripturæ teſtimonia, & Veterum Patrum conſenſus, contra Felicem, & Elipandum demonſtrant.

Ex nono Chriſtiano Sæculo.

I. NOno ineunte ſæculo annum quintum Pontificatus agebat Leo III., qui retroacto ſæculo Hadriano I. ſucceſſerat; dum Romæ Synodo congregata pro criminibus quibuſdam appoſitis Romano Pontifici, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates contextati ſunt, ſe judices illius eſſe non poſſe illis Verbis, *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum judicare non audemus, nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur, ipſa autem à nemine judicatur; quemadmodum antiquitùs mos fuit, ſed ſicut ipſe Summus Pontifex conſuevit, jubeat, canonice obediemus*. Quapropter Sanctus Leo ſacra accipiens Evangelia in Baſilicâ S. Petri coram omnibus Ordinibus, ſe juramento purgavit.

De-

Digitized by Google

II. Decretum à Ludovico Pio Imperatore Stephano V. Papæ datum, quo liberam declaravit velle eſſe Romani Pontificis electionem, & ejuſdem coronationem, Ludovico Pio referendum nequaquam eſſe arbitramur.

III. Paſchalis I., qui Stephano V. ſucceſſit, è Ludovico Pio Imperatore confirmationem Pippinianæ, & Carolinæ Donationum Decreto incipiente, *Ego Ludovic us*, excepit.

IV. Clerus Gallicanus permittente Eugenio II. Pontifice Maximo Pariſios anno Chriſti 824. convenit de Sacrarum Imaginum cultu collaturus; qui deinde SS. PP. Sententias illam controverſiam ſpectantes miſit ad Romanum Pontificem per Jeremiam Senonenſem Archiepiſcopum, & Jonam Aurelianenſem Epiſcopum, ut eas authoritates Romanus Pontifex recognoſceret.

V. Inter Leonem IV., & Benedictum III. nullus alius Pontifex ſedit, adeòque commentitia omnino eſt narratio Papiſſæ Joannæ inter hos duos Pontifices ad Romanam Sedem evectæ.

VI. S. Ignatius Conſtantinopolitanus Patriarcha in latrocinali ſynodo, à Proceribus Palatinis ut ſe Patriarchatu ſpontè abdicaret hortatus fuit, quod cùm hoc præſtare velle negaſſet S.Patriarcha, ad Concilium citatur, ipſe autem judices recuſavit, & ad Nicolaum primum Romanum Pontificem appellavit, qui per Theognoſtum Archimandritam appellatione habita, Photianam Synodum irritam fecit, Ignatium ſuæ Sedi reſtituit, Legatos prævaricatores damnavit. Optimum autem habetur Pontificii primatus teſtimonium in ipſo Sancti Ignatii ſupplici libello, in quo ita legitur *Sanctiſſimo Domino noſtro, & Beatiſſimo Præſidi, cunctarum ſedium Patriarchæ, Sancti Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſori, Oecumenico Papæ Nicolao.*

VII. Photius Conſtantinopolitani Patriarchatus Ty-

Digitized by Google

rannus Nicolaum I. Romanum Pontificem in quodam conciliabulo, cujus Michael Imperator præſes fuit, excommunicare eſt auſus, Græcis omnibus, qui in Concilio aderant, XXI. Præſulibus exceptis, reclamantibus illis vocibus. *Non eſſe juſtum in Summum, & Primum Pontificem præcipuè ab inferiori quomodolibet ſententiam ferri*. Tamen Baſilius Imperator obſequens Nicolai I. imperio, ſententiam ab eodem Pontifice latam contra Photium executioni mandavit, Eunuchum à Sede Patriarchali ejiciens, Ignatiumque reſtituens.

VIII. Juſſu Hadriani Pontificis Maximi à Baſilio Imperatore convocata eſt octava Synodus Generalis Conſtantinopolitana IV., anno 869. cui præfuit per Donatum Epiſcopum Oſtienſem, Stephanum Epiſcopum Nepeſinum, & Marinum Diaconum Apoſtolicæ Sedis Legatos Hadrianus II., quem ulteriùs rogarunt S.Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Baſilius, reliquive Patres, ut Synodum confirmare dignaretur. Imò in hoc Concilio Pontificii primatus authoritas maximè enituit, dum Ignatius, & Baſilius pro Lectoribus à Photio ordinatis, Theodoro Metropolita Cariæ, qui partibus Photii vi tormentorum devictus, adhæſerat, & pro Paulo Carthophylace intercеſſere, ut cum illis diſpenſaret,& pro illis ſeveritatem Canonum ab univerſa Eccleſia receptorum mitigaret.

IX. Photius, fraude ab exilio imperante Baſilio revocatus, poſt Ignatii obitum in Sedem Conſtantinopolitanam iterum reſtituitur, qui tamen, pſeudo-Synodo ab ipſo celebrata, in præjudicium Romanæ Sedis, ſilentibus Paulo, Eugenio, & Petro Apoſtolicæ Sedis Legatis, à Joanne VIII. excommunicatur, quapropter Photius nequaquam in communione Romanæ Eccleſiæ diem clauſit extremum.

X. Formoſi Pontificis Maximi cadaveris exhumatio non

Digitized by Google

non ad commentum reducenda eſt, ſed ad veritatem hiſtoriæ pertinet, & hoc factum eſſe à Stephano VII., qui & VI. dicitur, Bonifacii VI. ſucceſſore, affirmamus.

XI. Inter alia Concilia Provincialia hoc ſæculo celebrata unum fuit Arelatenſe VI. anno Chriſti 813. in cujus primo canone profeſſio fidei exhibetur, in qua, inter alia Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere expreſsè invenitur; non tamen per hoc dicimus Concilium Arelatenſe VI. primum fuiſſe, qui illam particulam *Filioque* in Symbolo adjecerit, ſed eam additionem antiquiorem omninò eſſe aſſerimus.

XII. Ratramnus, qui inter Eccleſiaſticos Scriptores hoc Sæculo floruit, Calviniſtis nequaquam favet doctrina de Euchariſtia in libro ſub nomine Bertrami vulgato. *De Corpore, & Sanguine Domini*.

Aſſerta Dogmatica adverſus hæreſes Sæculi X.

1 SAcra Scriptura ſenſum omnibus obvium, & ſine ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia apertum eſſe, error Sergiotis communis adſcribitur.

2 Ut populi à ſuperſtitioſis arceantur nequaquam removeri debet ſacrarum Imaginum cultus contra Claudium Taurinenſem.

3 Bona opera nihil prodeſſe reprobis, & mala nequaquam nocere prædeſtinatis opinio fuit Gotteſchalchi.

4 Extremum judicii diem omnibus ignotum eſſe, & à Deo nequaquam homini revelatum docet Scriptura adverſùs Thiotam Pſeudo-Prophetiſſam.

5 Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere do-

gma eſt Chatholicum, adversùs Photium, & Græcos Schiſmaticos.

Ex decimo Chriſtiano Sæculo.

I. HOc incipiente Sæculo à tribus Pontificibus, qui primo anno ſibi ſucceſſerunt, Romano, ſcilicet, Theodoro, & Joanne IX. acta contra Formoſum Pontificem Summum reſciſſa fuere; quapropter magis evidens redditur, inter fabulas non eſſe annumerandum judicium contra memoriam Formoſi Pontificis prolatum.

II. Joannes IX. Styliano Epiſcopo Neoceſarienſi veniam negavit communicandi cum iis, quos Photius ordinaverat, quod argumentum præbet aſſerendi, Photium extra Eccleſiæ Romanæ communionem diem ſuum objiſſe.

III. Sergius Tertius, quamvis malis artibus, & vi, Petri Cathedram occupaverit, & fæda cum Marozia conſuetudine dehoneſtaverit, tamen hunc, ut Pontificem reveriti ſunt Fideles omnes, quare inter Pontifices Sergium etiam numerandum eſse perhibemus.

IV. Exauthoratio Joannis XII. anno 963. in Romana Synodo habita illegitima fuit; adeòque, qui ipſi ſubſtitutus eſt, Leo VIII. Antipapa cenſendus eſt.

V. Septem Germaniæ Principes S. R. Imperii Electores inſtituit Gregorius V. Pontifex Maximus, penès quos reſidere voluit jus, & poteſtatem Imperatorem eligendi. Principes autem qui ad talem dignitatem evecti ſunt, continentur illis carminibus.

Moguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis
Quilibet Imperii fit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux Portitor Enſis
Marchio Præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus

Hi

Digitized by Google

Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſæcula ſummum.

VI. Paſchaſius, qui retroacto ſæculo anno 860. circiter floruit contra receptam de Euchariſtia fidem, non adinvenit novam, ſed in genuinis ejus operibus univerſalis Eccleſiæ fidem expoſuit, ac propugnavit.

VII. Joannem Scottum hæreticum fuiſſe ejus ſcripta manifeſtè demonſtrant; incongruè autem ab aliquibus Bedæ Venerabilis Diſcipulus appellatur Scottus; quandoquidem hoc facilè evincitur vel ex eo, quòd Scottus fuerit ſupra integrum ſæculum venerabili Bedæ poſterior; allucinantur etiam illi, qui hunc Joannem Martyrem fuiſſe exiſtimant, perperàm Joanni Scotto tribuentes, quod Joannis Malmeſburienſis proprium eſt.

VIII. Paucis admodùm ſcriptoribus Eccleſiaſticis hoc ſæculum exornatum agnoſcimus. Quare litteraria reſpublica undique oppreſſa jacuit; aliquibus tantummodò his in tenebris radiantibus; inter quos Moyſes Barcephas, & Acto Vercellenſis; quorum opera genuina eſſe, etſi non integra affirmamus.

IX. Pauciſſima hoc plumbeo ſæculo celebrata fuere Concilia vel nationalia, vel provincialia; inter ea tamen, quæ coacta fuere, unum fuit Concilium Auguſtanum, cui ex Italia, Gallia, & Germania adfuere Epiſcopi, præſidente Frithurico Moguntino Archiepiſcopo; in cujus tertio canone pœnę conſtituuntur Clericis aleatoribus, præcipuè in Sacris conſtitutis, quibus etiam canone undecimo prohibetur non excluſis Subdiaconibus uxores ducere, aſſerendo, tale decretum pluribus anteactis Synodis firmatum, ex quo ſanè deducitur valde perantiquum fuiſſe, in orthodoxa Eccleſia Subdiaconibus illicita connubia.

X. Sæculo decimo nihil in fide, & doctrina Eccleſiæ de Euchariſtia innovatum eſt, ut falsò Calvinianæ ſectæ miniſtri arbitrantur.

Aſſer-

Digitized by Google

Aſſerta Dogmatica adverſus hæreſes Sæculi X.

1 DEum eſſe incorporeum Scripturæ,& Patres,& Fides declarant adversùs Antropomorphytas.

2 Animam rationalem eſſe immortalem ſuſtinent Catholici contra Walfredum.

FINIS.

Digitized by Google

Diſputabuntur publicè in Eccleſia San-ctì Bernardi de Urbe ad Thermas Diocletianas ab eodem qui ſupra. Anno MDCCXI.
Menſe Aprilis die . . .

Digitized by Google

Pag.	Lin.	Errata	Corrige
3	13	aſſentiis	Eſſentiis
7	30	ticulatis	particularis
18	1	ita	ita
30	4	creaturis	Creaturæ
36	8	ſed	ſeu
48	31	dici	diù
96	32	non	tum
140	6	preciſo ſeriè	preciſè ſeriò
141	2	Gnoſtificorum	Cnoſticorum
144	27	nihilo	nihilominus.
154	2	hordie	hordei
162	10	Elcemonis	Elcemoſinis
174	19	VI.	IV.
190	13	Catholicam Religionem	Catholica Religione

Quæ levioris momenti ſunt benevolo Lectori
Corrigenda Relinquuntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

399.488.4

Digitized by Google